Probatio

Proba Calami

Probatio

Probatio Calami

Probatio Calami

Sub

Im

PRINCIPIA
THEOLOGIÆ ASCETICÆ
Ad uſum & captum
TYROCINII RELIGIOSI
Potiſſimum
Seraphici Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci Strict: Obſervantiæ.
REFORMATORUM.
Ex Probatis Authoribus collecta
DISPOSITA
&
ELUCIDATA
à
P. F. Floriano Iaroſzewicz Ejusdem Ordinis & Inſtituti Sacerdote. C. R. PATRE.

Anno Domini 1752.

Leopoli Typis Confr: Sanctiſſimæ TRINITATIS.

ILLUSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO
Domino, Domino
STANISLAO
à Potok
In Zbaraż, Niemirow, Stanisławow, Tarnopol, Iozefow &c. &c.

POTOCKI

Palatino Generali Terrarum Kijoviæ.

Haliciensi, Leżayscensi, Sniatynensi, Cołomiensi,

CAPITANEO.

Syndico Generali Apostolico.

Fundatori Gratiosissimo

ác

Protectori Ordinis Seraphici.

FAVENTISSIMO.

DE-

DEDICATORIA.

MInima hæc Opella cum a suo Authore nullum habeat pretium, à Tuo Maximis æquando Nomine, decus quærit & præsidium. ILLUSTRISSIME. & EXCELLENTISSIME DOMINE. Quo etenim potius titulo auctorizari poterit, quam Avitâ Cruce Tuâ? in qua olim pretium pependit Sæculi, nunc vero Sexcenta Patriæ deco-

ra, congesta hostium Crucis spolia & trophæa, salus & integritas plurimorum conquiescunt. Cui demum Nomini meliori jure Asceseos rudimenta debentur, ac Tuo? cum ultra Canones omnigenæ civilitatis, ultra generosi animi leges, nihil prius cordi impresseris, quam Christianæ perfectionis Ideas. Prostant illæ ad imitationem paucis, ad exemplum cunctis, leguntur in exactissimis vitæ Tuæ rationibus, in æqui justiq; amore indeclinabili, in Avitæ Religionis zelo insuperabili, in liberalitate erga pauperes, in pietate erga Deum incomparabili. Elucescit illa in Aula Tua, quam proborum Collegium instituisti, in Lectissima Prole, quam non Politicis tantum studiis, sed Christiano nomine dignis moribus excoluisti, nec excolere cessas.

ſas Eluceſcit in admiranda erga Deum Divoſq; profuſione, quæ Tuarum cogitationum unicum eſt obiectum, Tuarum opum ſanctior eſt vorago. Quo enim mage præter Inclytæ Domus Patriæq; curas, generoſam occupas mentem? quò copioſi ærarij diſtrahis expendiſq; fortunam? quam in augmentum Divinæ gloriæ, in Deiparæ Virginis diſtinctiſſimos honores, in Divorum non mapalia ſed Auguſtalia. Erubeſcere debent vel in Purpuris multorum Nomina, quorum vel tenacitati, vel forſan luxibus ingentes immolantur opes, ubi Te Senatorem Regni Ampliſſimum, Te numeroſâ Prole beatum Parentem, frequentiſſimæ Aulæ ac Satellitij Conſervatorem, tot pauperum Patrem & Altorem, tot Fortalitiorum Arcium, Palatiorum

(quæ

(quæ continò erigis, adornas, reparas) Dominum ac Hæredem? interim tot tantarumq; cernunt Basilicarum, Collegiorum, Monasteriorũ, operosum, indefessum, liberalissimum Fundatorem. Stupet avara jejunaq; complurium parcitas super tot Sacrarum Ædium moliminibus Zbarazij, Stanislaopoli, Załoscij, Tarnopoli, Cremeneci, Dunajov: *quæ licet millia millium exhauriunt, nequaquam tamen generosissimi Tui pectoris gazam coarctant. Miratur recentem devotæ mentis Tuæ profusionem erga Pretiosissimam Virginem Deiq; Matrem in Lezayscensi Icone, innumeris gratijs, prodigijs clarissimam, cui Vaticanas Coronas ad sceptra Reginæ Poloniarum adijci effecisti. Tam Augustæ pompæ. tam Solemnis Actus, tot præcones.*

nes, tot ſunt teſtes, quot innumeri ſpectatores, qui totamcircum oram Leżayſcenſem impleverant, qui Coronatæ Divinæ Parenti laudes, qui Eius Coronatori elogia, vota, præconia intonarunt. Num enim peperciſti ærario, induſtriæ, labori? ut honorificatam in Cælis Matrem DEI, tot populorum vocibus, tot piorum votis, tot deniq; artibus devotionis honorares in terris? Et hæc quidem erga Reginam Cælorum ſtudia, uno concludi Sanctuario, unâ comprehendi regione nequaquam poſſunt; & dum alienæ admirationi ſunt perquam ſatis, Tui cordis vaſtitati minime ſufficiunt. Diſtingvere contendis annorum coronas Marianis coronamentis, ubi prope diem in Iaroſlavienſi Doloroſæ Matris Imagine ſimilia

com

commonſtrare intendis. Quid proferam de erectis alibi Divorum Aris, adornatis Eccleſijs, introductis SS. Lipsanis, dotatis Iuvenum Seminarijs, Pauperum Xenodochijs? omnia hæc pietatis argumenta ſunt, quæ Te Mæcenas Ampliſſime, hominem in Deum divitem, Virum ſecundum Cor DEI, Avitæ religionis Hæredem, Potoccianæ devotionis Succeſſorem, eximiumq; Chriſtianæ pietatis demonſtrant Cultorem. Iſtud profectò princeps motivum habui, ut Principia Theologiæ Aſceticæ, Tuo Illuſtriſſimo Nomini ſacra facerem, qui perfectionis non vulgaris tantum, at ſupererogatoriæ ſummam in factis Tuis repræſentas. Alterum & municipale illicium tenuem hanc Opellam Tibi offerendi, ſacratius eſt & ſecretius.

Cui

Cui namq; strictius debentur omnia quæ Religionis nostræ dignoscuntur, ac Tibi uni? Tibi inquam qui Syndici nostri Generalis characterem gr ti se assumpsisti; & eo nomine tanquam Vicesgerens Apostolicæ Sedis, dominium habes rerum omnium, quarum usum, Seraphica nostra permittit Regula. Accedit titulus titulo, cum Te Excellentissimum Mæcenatem unius Conventus Fundàtorem liberalissimum in facto, alterius in voto gratis animis recolamus. Profundis in Ædes & commoda nostra ingentes gazas: an non jure optimo minimum hunc gratitidinis censum a nobis recipias? Licet vero non gentilitios f sces, non clarissimæ Genearchiæ Arbores, non amplissima Tuorum aboriginum trophæa, (quæ Orbis Nostri historiam imple-

implevere) Tuo præsentem conspectui, donabis veniam, & solitâ erga me ac meum Institutum benevolentiâ hoc exile opusculum suscipies, pariterq; votum, ut pietatis Tuæ monumenta, ne in Tuam solummodo Personam, sed in Amplissimæ Domus auctoramentum, in fortunatissimos lectissimæ Consortis, ac magnæ Spei Prolium successus effundantur. Sic vovet mancipata Tibi Religio Nostra, sic illius Alumnorum minimus.

ILLUSTRISSIMÆ
EXCELLENTISSIMÆ
Amplitudinis Vestræ
Devinctissimus Servus
ac
Obstrictissimus Exorator
Author Operis.

CEN-

CENSURA
Theologorum Ordinis.

LIbrum, cui Titulus: *Principia Theologiæ Ascetica &c.* ab. A. R. P. Floriano Jaroszewicz Ordinis Minorum Reformatorum, Custodiæ Russiæ Patre, S. Theol: Lectore, ac Diffinitore Actuali conscriptum, non diligenter tantummodo, verùm cum summa svavitate legimus, nihilque quod Orthodoxæ fidei ac bonis moribus adversaretur invenimus: imò benè fundatam, facilem ac practicam in spiritu proficiendi methodum reperimus. Ut igitur Typis mandetur, ac plurium expectationi satisfiat, congruum esse censemus. Datum in Conventu Leopoliensi ad S. Casimirum Die 21. Mensis Augusti A. D. 1751.

Fr. Stanislaus Kleczewski Ref. S. T. Lector ac Diffinitor Act: Custodiæ Russiæ

Fr. Ambrosius Szolc Refor: S. Th: Lector ac Diffinitor Act: Custodiæ Russiæ.

LI-

LICENTIA
A. R. P. Custodis.

LIbrum cui Titulus: *Principia Theologiæ Asceticæ &c.* ab A. R. P. Floriano Jaroszewicz Ord: Min: Strictioris Observantiæ Reformatorum. S. Theologiæ Lectore, Custodiæ Nostræ Russiæ B. V. M. Dolorosæ Ex-Custode & Patre, laboriosè, Spiritualiter & doctè compilatum, & à Theologis Religionis diligenter revisum [cum nihil doctrinæ Christianæ & bonis moribus adversum contineat, imò non ad erudiendam solûm Religiosam juventutem, ast etiam veteranis ad perfectionem acquirendam maximè sit necessarius] Typis mandari, & in lucem publicam extradi concedimus, si ejs ad quos de Iure, videbitur. Datum in Conventu nostro Chełmensi ad S. Andream Apostolum. Die 16. Maij. 1752. Anno·

Fr. Florianus Domański Reform: V. Custos Regiminis Custodiæ Russiæ. mpp.

LICENTIA
Rmi Patri Generalis.

Fr Raphael à Lugagnano Lector Emeritus Ex-Minister Generalis, ac totiùs Cismontanæ Familiæ Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Commissarius Generalis, Visitator & Reformator Apostolicus.

Cum juxta Apostolicas nostriq; Ordinis Constitutiones, revisum & approbatum fuerit Opus quoddam, cui titulus est: *Principia Theologiæ Asceticæ* compositum à Reverendo Patre Floriano Jaroszewicz S.T. Lectore, & Ex-Custode Nostræ Reformatæ Custodiæ B.V.M. Septē Dolorū in Russia, tenore præsentiū, ad salutaris obedientiæ meritum Eidem facultatem elargimur, quatenus servatis servandis illud Typis mandari possit & valeat. Datum Romæ ex Ara cæli Sexto Nonas Octobr: 1751.

F. Raphael à Lugagnano
Commissàrius Generalis.
De Mandato Rmi in Christo Patris,
F. Paulus Ioannes à Bastia
Secretarius Generalis.

L I C E N T I A
Celsissimi & Reveren-
dissimi D. Ordinarij Loci.

IMPRIMATUR

NICOLAUS IGNATIUS
de WYZYCE
WYZYCKI

ARCHIEPISCOPUS
METROPOLITANUS
LEOPOLIENSIS.

Datum Leopoli Die 15.
April: Anno 1752.

PRO-

PROLOQVIUM.

INter tot Asçetica opera, salutaribus pariter ac sublimibus referta doctrinis, quód exile hoc Opusculum in lucem prodeat, tum vota Majorum meorum, tum Religiosi Tyrocinij aliqua forsan utilitas futura me impulit. Quanquam etenim sive aliorum Ordinum, sive nostri quoque Asceseos Professores, copiosè ac elevate de rebus spiritualibus, multa conscripserint, interim experimento constat nimium elevatas doctrinas, phrasesq; Asceticas [multò magis mysticas] obruere sæpius intelligentias Tyronum quam rapere, illorum maxime qui severiori literaturâ minimùm sunt exculti. Quo circa, cum sapientibus æque ac insipientibus debitor sum, hanc Opellam statui accomodare captui Novellorum quibus lacte adhuc, non solidó cibo opus esse intellexi. In gratiam eorundem præmisi Catechismum seu nonnulla principia doctrinæ Christianæ, tum ut præprimis nôrint quid homini Christiano credendum sit & sciendum, tum ut expositi ad Ecclesiasticos [saltem inferiores] Ordines suscipiendos ea calleant per quæ gratiosis & discretis Examinatoribus possint satisfacere. Tota porrò hujus Operis structura disposita est à me juxta receptum in Religione nostra usum, ne novo aliquo Systemate Asceticarum rerum, confundantur eorum animi, quibus antiquiora pridem, idq; utiliter

sunt

sunt impressa. Circa materias Meditationum secutus sum morem Ascetarum Ordinis nostri, potissimum S. Petri de Alcantara, qui hasce materias ad meditandum sufficientes & utilissimas ex lumine Divino intellexit. Nemini tamen proficientium vel jam perfectorum obicem pono, quin pro mensura calestis gratia ac scientia Sanctorum, alia & alia possit ad meditandum assumere; incipientium enim profectui consulere decrevi per totam hanc Opellam: quibus proinde doctrinam de Exercitio virtutum, & alias, quâ potui brevitate propino. Studij verò mei quod huic Opusculo impendi, hanc geminam cupio mercedem, nempe spiritualem legentium utilitatem, ac Dei Optimi Maximi majorem in omnibus

GLORIAM

TRA

TRACTATUS I.
Præliminaris
In quo ad usum Tyronum traditur
CATECHISMUS
Dogmatico-Asceticus.
CAPUT I.
De Doctrina Christiana.
§ Imus.
De Deo uno & Trino, de Christo D.

Quæritur 1. QUid est Deus *Resp:* Est Creator Cæli & Terræ, omniumq; visibilium & invisibilium, infinitus, æternus, immensus, & omnimode perfectus.

Quær. 2do. An sint plures Dij? ℟. Nec sunt nec esse aut rationabiliter cogitari possunt; nam cum verus Deus sit infinitè seu omnimode perfectus, quid haberet alter Deus?

Quær: 3. Cur ergo tum apud Poëtas, tum etiam in S. Scriptura, dicitur sæpe in plurali: Dij? ℟. à Poetis fabulosè & fictè plures Dij asseruntur.

 In scri-

In ſcriptura Dij ſumuntur, nuncupativè tantùm & Metaphoricè,non autem ſint verè & entitativè

Quær: 4. An Deus ſit unus & Trinus? ℟. Defacto eſt Deus unus ſimul & Trinus.

Quær: 5. Quid eſt *SS.* Trinitas? ℟. Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Quær: 6. Cur ergo non ſunt tres Dij? ℟. Quia in Patre, Filio & Spiritu S. una & eadem eſt Deitatis eſſentia indiviſa, proinde ſunt tres Perſonæ ſed unus Deus.

Quær 7. An aliqua Perſona Divina eſt major aliâ? ℟. Nequaquam, ſed omnes ſunt æquales.

Quær. 8. Cur ergo Chriſtus dixit Joa. 10. *Pater major me eſt?* ℟. Hoc debere intelligi de Chriſto ſecundum Humanitatem, non ſecundum Divinitatem.

Quær 9. An una Perſona Divina eſt prior aliâ? ℟. Nulla Perſona eſt prior ſeu poſterior aliâ, ſive tempore, ſive naturâ, ſed ſolum Pater eſt prior origine Filio, Pater & Filius ſimul, ſunt priores origine Spiritu S.

Quær. 10. Quid ſignificat iſta prioritas originis in Divinis? ℟. Nihil aliud, niſi procedentiam unius Perſonæ ab alia.

Quær. 11. Quæ attribuuntur Perſonis Divinis? ℟. Patri attribuitur Potentia, Filio Sapientia, Spiritui S. Bonitas.

Quær. 12. Quid eſt Chriſtus Dominus? ℟. Eſt Deus ſimul & Homo, Filius Dei & ſimul Filius hominis.

Quær 13.

Quær. 13. Quid est Incarnatio Verbi Divini? ℞. Est assumptio humanitatis in Deum: seu unio humanitatis Christi cum Divinitate.

Quær. 14. Qualis est ista unio? ℞. Est hypostatica seu Personalis, Græcè enim Persona vocatur Hypostasis.

Quær 15. Quare dicitur unio Hypostatica? ℞. Quia natura humana Christi est immediate unita Personæ Verbi Divini seu Filij Dej, naturæ autem Divinæ mediatè; proinde non dicitur *SS.* Trinitas Incarnata sed Verbum Dej Incarnatum, seu Verbum caro factum.

Quær 16. Quot sunt Naturæ in Christo? ℞. Sunt Duæ: Divina & humana.

Quær 17. Quot sunt Personæ in Christo? ℞. Est nonnisi una eaq; Divina Filij Dej, quæ supplet Personalitatem humanam.

Quær 18. Quot sunt Intellectus & Voluntates in Christo? ℞. De fide est contra Monotelitas Hæreticos, quod sunt duo intellectus, Divinus & humanus: duæ voluntates Divina & humana,|| intellectu & Voluntate præditæ. Vide Errata

Quær 19. Quomodo Christus sit conceptus & natus? ℞. Conceptus est de Spiritu *S.* natus ex Maria Virgine.

Quær. 20. Cur Christus dicitur conceptus ex Spiritu *S.* non ex Patre, aut se ipso? ℞. Quia Incarnatio est opus singulare Divinæ bonitatis, Spiritui vero Sancto, attribuitur Bonitas & amor.

Quær 21. An Christus ut homo sit Filius Dei adoptivus

ptivus vel proprius? ℞. Non est adoptivus, sed proprius & naturalis Dei Patris; quia adoptio est gratuita assumptio Personæ extraneæ ad jus hæreditatis, Christus vero etiam ut homo non est Persona Deo extranea.

Quær 22. An Christus Dnus est quid unum? ℞. Est unum; sicut licet homo constet duobus, nempe anima & corpore, est tamen quid unum: Proinde S. Athanasius dicit: *non duo tamen sed unus est Christus.*

Quær 23. Cur Filius Dej venit in mundum? ℞. Propter nostram doctrinam, redemptionem & justificationem.

Quær. 24. Quomodo nos docuit Christus. ℞. Docuit nos verbo veritatis, & exemplo Sanctitatis.

Quær 25. Quomodo nos Christus redemit? ℞. Per vitam laboriosam, per Passionem dolorosam, & mortem ignominiosam.

Quær 26. Quomodo nos Christus justificavit? ℞. Quia nobis omnibus meruit gratiam sanctificantem, per quam justificamur à peccatis & reconciliamur Deo.

Quær 27. An Christus est Salvator hominum & Angelorum? ℞. Est, nam intuitu meritorum Christi, tam bonis Angelis collata est gratia ne perirent, quam hominibus, ut qui perierant, ad Deum redirent.

Quær 29. An Christus D. est Redemptor Angelorum? ℞. Non potest dici, in obvio sensu Redemptor, quia mali Angeli non sunt redempti, boni

verò

verò non subierunt servitutem peccati. Potest tamen dici in sensu excellentiori Christus Redemptor bonorum Angelorum, scilicet non curativus sed præservativus, quali modo est Redemptor suæ Pretiosissimæ Matris MARIÆ.

§ II.

De Ecclesia Fide &c.

Quær 1. QUis dicendus est Christianus verus? ℞. Qui baptismo initiatus fidem JESU Christi veri Dei profitetur, nulliq; errori damnato ab Ecclesia Catholica adhæret.

Quær 2. Quid est Ecclesia? ℞. Est congregatio fidelium sub uno Supremo Capite & Pastore Deum colentium, & Doctrinam Christi profitentium.

Quær 3. Qui nam sunt extra Ecclesiam? ℞. *Imo* Sunt omnes Ethnici, Judæi & alij baptisma & Fidem Christi reijcientes. *2do* Omnes hæretici & Schismatici, pertinaciter in suis erroribus persistentes.

Quær 4. Quæ nam sunt Notæ veræ Ecclesiæ Christi? ℞. Sunt quatuor. Nempe 1. Quod sit *una* tum unitate Capitis visibilis, scilicet Romani Pontificis, tum unitate fidei, tum unitate Sacramentorum, tum unitate charitatis. 2. *Quod sit Sancta*, Sanctitate doctrinæ, legum & morum. 3 *Catholica seu universalis*, ut pote annuntiata in universo Mundo. 4. *Apostolica* idest ab Apostolis fundata, eorumq; actibus, doctrinis, & non interruptâ Successione Sedis Apostolicæ firmata. Quas

notas nulla secta in se ostendere potest.

Quær 5. Quid est Fides Theologica? ℟. Est Donum Supernaturale, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus veritatibus à Deo revelatis, & per Ecclesiam ad credendum propositis

Quær 6. Quibus infundatur Veritas Fidei? ℟. Infundatur S. Scripturæ potissimùm Evangelio, Traditionibus, ac Decisionibus S. Ecclesiæ.

Quær 7. Quid sit S. Scriptura? ℟. Est Verbum Dei nonullis hominibus a Deo inspiratum, & ex Ejus voluntate scriptotenus consignatum.

Quær. 8. Quotuplex est S. Scriptura? R. Duplex. Veteris & novi Testamenti, utraq; autem vocatur: Biblia Sacra.

Quær 9. Quotuplex est sensus S. Scripturæ? ℟. Quadruplex hoc Disticho comprehensus.

Litera gesta docet, quid credas Allegoria.
Moralis quid agas, quid credas Anagogia.

1mus. Itaq; sensus est *Literalis*, juxta quem docemur de aliqua re ut designatur, proprijs verbis vel subinde Metaphoricis. *2dus* est *Allegoricus* & est manifestatio alicujus rei credendæ, quam scriptura figuratè ostendit. *3tius* est *Moralis* seu *Tropologicus*, & est manifestatio alicujus veritatis ad mores ordinandos à Spiritu S. intentæ. *4tus* est *Anagogicus* seu sursum ductivus, & est manifestatio alicujus rej salutariter appetendæ, uti gratiæ Divinæ vel gloriæ cælestis. Omnes præallati sensus S. Scripturæ, in uno nomine pos-

sunt

sunt congruenter exemplificari: vg *Ierusalem* in sensu literali designat Civitatem in Palestina sitam In Tropologico animam justi. In Allegorico Ecclesiam Christi. In Anagogico cælestem sedem Beatorum.

Quær 10. Quid sunt Traditiones Ecclesiæ? ℟. Sunt quædam doctrinæ seu ordinationes, sive à Caristo Domino, sive ab Apostolis, sive ab Eorum Successoribus, vivâ voce traditæ, & communi usu Ecclesiæ acceptatæ.

Quær 11. Quotuplex est Traditio Ecclesiæ? ℟. 3x 1. *Divina* idest Christi, ut de numero, specie, Forma, materia Sacramentorum, quæ omnia non scripto, sed verbo-tenus sunt consignata. 2. *Apostolica* quæ ab Apostolis ex instinctu Spiritus S. derivatur, ut vg: de Jejunio quadragesimæ de Symbolo Fidei. 3. *Ecclesiastica* quæ tum à Summis Pontificibus, tum à Concilijs Episcoporum ortum habet, ut de Baptismo parvulorum, de Virginitate B. V. De more aspergendi aquâ benedictâ; signandi se S. Cruce, de servando Die Dominico, de celebrando Paschate &c.

Quær 12. Quid sunt Decisiones Ecclesiæ. ℟. Sunt Decreta seu Statuta Conciliorum, aut etiam Summi Pontifici ex Cathedra loquentis, idest ut Doctoris universalis Ecclesiæ.

Quær 13. Quod nam sit Symbolum seu compendium fidei Christianæ? ℟. Est Symbolum Apostolicum in 12. articulos divisum, nempe: *Credo in unum Deum &c.*

Quær. 14.

Quær 14. Quæ nam ſint neceſſariò ad ſalutem credenda etiam a rudiſſimis. ℟. Quatuor. 1 Quod Deus ſit. 2. Quod ſit Remunerator bonorum & malorum 3. Quod ſit unus in Eſſentia & Trinus in Perſonis 4. Quod Deus ſit Incarnatus ſeu quod JESUS Chriſtus ſit Deus verus & homo. Hæc vocantur credenda neceſſario neceſſitate medij.

Quær 15. Quæ alia præter hæc, neceſſariò ſunt credenda? ℟. Omnia cætera quæ credere præcipit Eccleſia, maxime quæ in formula Confeſſionis fidei à Concilio Tridentino, omnium Conciliorum ultimo præſcripta, exprimuntur. Et hæc vocantur neceſſariò credenda neceſſitate præcepti.

Quær 16. Quid eſt *S*pes Theologica? ℟. Eſt Virtus à Deo infuſa, per quam certa cum fiducia bona *S*alutaria & gloriam æternam expectamus.

Quær 17. Quæ ſunt iſta bona *S*alutaria? ℟. Venia, gratia, & gloria Cæleſtis.

Quær 18. Unde docemur ſperare & orare ℟. Potiſſimum ex Oratione Dominica: *Pater noſter &c.*

Quær 19. Quid eſt Charitas Theologica? ℟. Eſt Virtus à Deo infuſa, per quam Deus propter ſe ipſum, & proximus diligitur propter Deum.

Quær. 20. Quæ nam ſunt præcepta Charitatis? ℟. Duo potiſſimum: Diliges Dominum Deum Tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. Et Diliges proximum Tuum ſicut te ipſum.

Quær 21. Per quid cognoſcimur diligere Deum?

℟. *Si*

℟. Si mandata ejus ſtudioſe ſervamus.

Quær 22. Quæ, & quot ſunt præcepta Dej ℟. *Sunt* decem: 1. Non habebis Deos alienos coram me. 2. Non aſſumes nomen Domini tuj in vanum. 3. Memento ut diem *Sabbathi* ſanctifices. 4. Honora Patrem tuum & Matrem tuam. 5. Non occides. 6. Non mæchaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non loqueris falſum teſtimonium contra proximum. 9 Non concupiſces uxorem proximi tui. 10. Non concupiſces ullam rem proximi tuj.

Quær 23. Quotuplicia ſunt præcepta Dej? ℟. Duplicia. *1ma* Sunt affirmativa & ſunt duo, 3tium & 4tum. *2da* Sunt negativa, & ſunt cætera octo. Item alia ſunt 1mæ tabulæ, & ſunt prima tria, quæ regulantur ad Deum. Alia 2dæ Tabulæ & ſunt reliqua ſeptem, quæ regulantur ad proximum.

Quær 24. Quæ nam ſunt præcepta Eccleſiæ ℟. Sunt potiſſimum quinque: 1. Feſtos dies ab Eccleſia inſtitutos celebrare, vacando a ſervilibus. 2. Miſſam diebus feſtis reverenter audire 3. Inſtituta jejunia ab Eccleſia obſervare. 4. Peccata proprio Parocho ſaltim ſemel in anno confiteri. 5. S. Euchariſtiam ſaltem ſemel in anno ſumere idq; circa Feſtum Paſchæ.

Quær 25. Qui voluntarie ſacrilege confitetur vel communicat an ſatisfacit præcepto 4to & 5to? ℟. Nequaquam: & oppoſita ſententia jam eſt damnata.

Quær 26. Quæ ſunt officia Juſtitiæ Chriſtianæ? ℟. Duo potiſſimum: Declinare à malo ideſt pec-

cato.

cato. Et facere bonum idest justitiam.

Quær 27. Quid est peccatum ℟. Est dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei.

Quær. 28. Quotuplex est peccatum ℟. imo est *2plx Internum* quod solâ mente committitur *Et externum* quod opere completur. *2do est 2plex* Originale & actuale. *Originale* est, quod commissum à primo Parente nostro Adam, in omnes ejus posteros derivatur. *Actuale* quod propria unius cujusq; voluntate committitur. *3tio est 2plx*. Mortale & veniale *Mortale* est quod committitur contra grave præceptum, seu obligans sub pæna æterna. *Veniale* quod non contra grave præceptum committitur.

Quær 29. Cur unum dicitur Mortale, & aliud Veniale? ℟. Quia mortale infert mortem animæ, privando eam gratiâ Sanctificante, quæ est vita animæ nostræ. Veniale verò non infert mortem animæ, sed tantum diminuit fervorem charitatis Divinæ, & debilitat animam.

Quær 30. Quibus gradibus pervenitur ad peccatum? ℟. *3bus* Suggestione, Delectatione & Consensu.

Quær 31. Quibus modis peccatur? R. Cogitatione, sermone & opere.

Quær 32. Quæ & quot sunt peccata capitalia? R. Septem: Superbia. Avaritia. Luxuria. Invidia. Gula Acedia. & Ira.

Quær 33. Quare dicuntur Capitalia? ℟. Quia ex iitis tanquam ex capitibus seu fontibus omnia alia vitia pullulant.

Quær. 34.

Quær. 34. Quæ ſunt Virtutes his vitijs oppoſitæ. ℟. Septem: Humilitas. Liberalitas. Caſtitas. Manſvetudo Temperantia. Devotio. Patientia.

Quær. 35. Quæ ſunt peccata clamantia in Cælum? ℟. Quatuor Homicidium voluntarium. Sodomia. Viduarum & pupillarum oppreſſio. Mercedis deſervitæ fraudatio.

Quær 36. Quæ ſunt peccata contra Spiritum S. ℟. Sex. Præſumptio de Miſericordia Dej. Deſperatio. Agnitæ veritatis impugnatio. Invidentia fraternæ charitatis. Obſtinatio in peccatis. Finalis impænitentia.

Quær. 37. Quæ Peccata dicuntur aliena? ℟. Decem 1. Conſilium iniqvum. 2. Mandatum improbum. 3. Conſenſus in malum. 4. Permiſſio mali. 5. Laudatio iniquitatis. 6. Reticentia alieni peccati. 7. Conniventia peccantibus. 8. Participatio ſceleris alieni. 9. Patrocinium malorum 10. Scandalum puſillorum.

Quær 38. Quæ nam opponuntur peccatis? ℟. Virtutes, bona opera, & dona Spiritûs S.

Quær. 39. Quid eſt Virtus? ℟. Eſt bona qualitas mentis habilitans hominem ad recte agendum.

Quær 40. Quod ſunt Virtutes Theologicæ? ℟. Sunt tres. Fides Spes & Charitas, de quibus ſupra dictum.

Quær 41. Quare dicuntur Theologicæ? ℟. Quia à Solo Deo ſupernaturaliter infunduntur animæ.

Quær 42. Quod ſunt Virtutes Cardinales? ℟. Quatuor. Juſtitia. Prudentia Temperantia & Fortitudo

Quær 43.

Quær 43. Quare dicuntur Cardinales? ℞. Quia sunt quasi Cardines omnis honestatis & *Sanctitatis.*

Quær. 44. Quot sunt Dona Spiritus *S*? ℞. 7. *Sapientia*, Intellectus, Consilium. Fortitudo. *Scientia*, Pietas. & Timor Domini.

Quær 45. Quot sunt fructus *Spiritûs S*?. R. 12. Charitas Gaudium. Pax. Patientia. Longanimitas. Benignitas. Bonitas. Mansvetudo. Fides. Modestia. Continentia. Castitas.

Quær 46. Quæ, & quot sunt genera operum bonorum? ℞. Tria Jejunium. Eleemosina, & oratio.

Quær 47. Quid est Jeiunium? ℞. Est abstinentia à Cibis in quantitate & qualitate.

Quær 48. Quid est Eleemosina? ℞. Est benigna sublevatio alienæ indigentiæ, sive ære, sive ope.

Quær 49. Quid est oratio? ℞. Est mentis ad Denm elevatio, sive laudando, sive petendo, sive deprecando Deum.

Quær 50. Quotuplicia sunt opera Misericordiæ? ℞. 2plicia. Corporalia & *Spiritualia.*

Quær 51. Quot sunt Corporalia? R. *Septem.* Esurientes pascere. *Sitientes* potare. Nudos contegere. Captivos redimere, ægros visitare, Peregrinos suscipere, Mortuos sepelire.

Quær. 52. Quot sunt *Spiritualia*? ℞. *Septem.* Peccantes corrigere. Rudes instruere. Dubitantibus consulere. Deum pro proximis orare. Mæstos consolari. Injurias patienter ferre. Culpam alijs dimittere.

Quær 53. Quotuplicia adhuc sunt bona opera?

℞. *Imo*

℟. *1mo* Sunt 2plicia. *Naturalia* seu Philosophica, quæ fiunt amore solius honestatis. *Supernaturalia* seu Theologica, quæ fiunt cum fide vera, cum gratia cælesti & ex amore Dej. *2do 2plicia* Heroica & Remissa. *Heroica* sunt quæ magnâ intentione & cum magna suj victoria ab homine exercentur. *Remissa* quæ absq; magno conatu, intentione & tepide exercentur. Ex his Remissa parum ad perfectionem Christianam conducunt & parvam in Cælo gloriam promerentur. Heroica plurimum & ad perfectionem, & ad magnam in Cælo gloriam conferunt, cum unus actus heroicus, præstet mille remissis.

§ III.

De Sacramentis Ecclesiæ.

Quær. 1. QUid est *S*acramentum? ℟. Est *S*acræ rej *S*ignum.

Quær 2. Quotuplex est *S*acramentum? ℟. 2plex. Antiquæ Legis & novæ Legis.

Quær. 3. Quæ fuerunt *S*acramenta antiquæ Legis? ℟. Circumcisio. Oblatio parvulorum. Esus Agni Paschalis. Ablutiones Corporis & his similia.

Quær 4. Fueruntne hæc proprie *S*acramenta? ℟. Exceptâ saltem Circumcisione, non fuerunt, quia tantum significabant Gratiam, sed eam non conferebant.

Quær 5. Quid est *S*acramentum novæ Legis? ℟. Est Signum sensibile à Deo institutum, ad confe-

conferendam efficaciter gratiam Sanctificantem homini Viatori.

Quær. 6. Quot sunt Sacramenta novæ Legis? ℟. Septem: Baptismus-Confirmatio. Eucharistia. Pænitentia. Extrema unctio. Ordo & Matrimonium.

Quær. 7. Quotuplicia sunt Sacramenta? ℟. *Imo.* 2plicia. Alia vivorum. Alia mortuorum. *Mortuorum* sunt ea, quæ conferri solent mortuis morte peccati, uti Baptismus & Pænitentia. *Vivorum* sunt ea, quæ conferri debent viventibus vitâ gratiæ, ut Confirmatio, Extrema unctio, Ordo & Matrimonium. *2do* Sunt 2plicia. Iterabilia & non-iterabilia. *Non iterabilia* sunt, quæ imprimunt characterem indelebilem animæ, uti Baptismus, Confirmatio & Ordo. *Iterabilia* quæ non imprimunt ut 4. reliqua. *3tio* Sunt 2plicia. Necessitatis & Voluntatis. *Necessitatis* sunt 3ja. Baptismus, Pænitentia, & Eucharistia. *Voluntatis* sunt 4. reliqua.

Quær 8. Quotupliciter sunt necessaria Sacramenta? ℟. Alia necessitate medij, sine quibus salvari non potest homo post peccatum, ut sunt Baptismus & Pænitentia. Alia necessitate præcepti ut est Eucharistia.

Quær 9. Quid est Gratia Sanctificans? R. Est Donum supernaturale infusum animæ, reddens hominem Deo gratum, Sanctum, justum, amicum, hæredem Dei & Cohæredem Christi. Vocaturq; alio nomine gratia habitualis, gratia gratum faciens. *Quær.* 10.

Quær. 10. Per quid tollitur Gratia Sanctificans ex anima? ℟. Per quodlibet peccatum mortale.

Quær 11. Quare dicitur habitualis? ℟. Quia per modum habitus seu fixæ qualitatis permanet in anima, quousque non cadit in lethale peccatum, & per hoc etiam differt à gratia actuali quæ se habet in anima per modum transeuntis.

Quær 12. Quid est Gratia gratis data? R. Est aliquod Donum Dei non ex meritis alicujus collatum, sed ad utilitatem aliorum ordinatum. Tales gratias enumerat Apost: ad *Cor: 12.* dicens: unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij scientiæ, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij Prophetia &c.

Quær 13. Quid est gratia Actualis? ℟. Est Auxilium supernaturale quod dat Deus homini ad operandum salutariter & meritorie.

Quær 14. Quid est Character Sacramentalis ℟. Est qualitas Spiritualis impressa animæ vi Sacramenti, consignativa hominis, & discretiva ab alio non habente tale signum.

Quær 15. Quid designat Character? ℟. Character Baptismalis designat hominem esse de Familia Christi. Character Confirmationis designat hominem esse Militem Christi. Character Ordinis designat esse Ministrum Christi.

Quær 16. An ultra Sacramenta, dentur Sacramentalia? ℟. Dantur. Et sunt quædam pia opera vel

Cere-

Ceremoniæ ab Ecclesia institutæ ad bonum ordinem & excitandam pietatem. Nempe: Oratio Dominica. Aspersio aquæ benedictæ. Largitio Eleemosinæ Benedictio Episcopi. Esus panis & vini benedicti &c.

Quær 17. Quonam modo causant gratiam Sacramenta & Sacramentalia? ℟. Sacramenta causant gratiam ex opere operato, idest virtute sibi inditâ ex meritis Christi. Sacramentalia vero ex opere operantis, idest ex meritis Ecclesiæ aut Fidelium ijs devote utentium.

Quær 18. Quibus perficitur Sacramentum? ℟. Tribus, Rebus tanquam materiâ: verbis tanquam Formâ, & Intentione Ministri.

Quær. 19. Quid est Intentio? ℟. Est actus voluntatis, quo quis vult aliquid facere vel omittere.

Quær 20. Quotuplex est Intentio? ℟. Est triplex, nempe: Actualis. Virtualis & Habitualis.

Quær 21. Quid est Intentio Actualis? ℟. Quæ elicitur dum aliquid agitur, & manet in Agente.

Quær 22. Quid est Virtualis? ℟. Quæ non manet in actu sed manet in effectu, ordinato ad rem intentam.

Quær 23. Quid est Habitualis? ℟. Quæ nec manet in actu, nec in effectu non tamen est retractata.

Quær 24. Quænam Intentio requiritur ad Sacramenta? ℟. Ad conficienda requiritur actualis vel virtualis, ad suscipienda sufficit habitualis. Addunt aliqui Intentionem interpretativam, sed

hæc

hæc non ſufficit, quia hæc non eſt in agente vg. in me, ſed in alijs.

Quær. 25. Quotuplex eſt Baptiſmus? ℟. Triplex: Flaminis, ſangvinis & Fluminis.

Quær. 26. Quid eſt Baptiſmus Flaminis? ℟. Eſt deſiderium efficax ſuſcipiendi baptiſmum fluminis, conjunctum cum contritione de peccatis.

Quær. 27. Quid eſt Baptiſmus Sangvinis? ℟. Eſt Martyrium pro Fide Chriſti toleratum.

Quær. 28. Iſti duo Baptiſmi ſunt ne Sacramenta? ℟. Non ſunt formaliter, ſunt tamen æquivalenter, quia & per illos deletur omnis culpa.

Quær. 29. Quid eſt Baptiſmus Fluminis? ℟. Eſt Sacramentum novæ Legis, mediante externâ ablutione Corporis per aquam, conferens gratiam ablutionis animæ ab omni peccato.

Quær. 30. Quæ eſt materia Baptiſmi? ℟. Materia remota eſt quælibet aqua naturalis. Proxima eſt ipſa ablutio Corporis.

Quær 31. Quæ eſt Forma Baptiſmi ℟. Hæc verba: Ego Te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

Quær 32. Quis eſt Miniſter Baptiſmi? ℟. Poteſt eſſe quicunq; homo rationis compos, ſive Vir, ſive Fæmina, ſive fidelis ſive infidelis, modo habeat intentionem baptizandi nomine Chriſti, vel more Chriſtiano.

Quær 33. Quid eſt Confirmatio? ℟. Eſt Sacramentum novæ Legis, quô mediante unctione Chriſmatis factâ ab Epiſcopo, confertur gratia San-

ctificans, & robur Spirituale in fide.

Quær 34. Quæ est Materia Confirmationis? ℟. Materia remota est Chrisma ex Oleo Olivarum, & balsamo confectum, ac ab Episcopo benedictum. Proxima est unctio facta in fronte in formam Crucis.

Quær 35. Cur impingatur alapa post Confirmationem? ℟. Ut memor sit confirmatus se esse Militem Christi, & nihil timere vel erubescere pro fide

Quær 36. Quid est Sacramentum Eucharistiæ? ℟ Est Sacramentum Corporis & Sangvinis JESU Christi, vere ac realiter contenti sub speciebus panis & vini.

Quær. 37. Quæ est materia Consecrationis seu confectionis Eucharistiæ? ℟. Est panis triticeus, & vinum de vite, seu vinum naturale non artificiale.

Quær 38. Quæ est Forma Consecrationis? ℟. Forma Consecrationis panis sunt hæc verba *Hoc est Corpus meum.* Consecrationis autem Vini sunt hæc verba: *Hic est Calix sangvinis mei*, vel *Hic est sangvis meus*, ut apud Græcos.

Quær 39 Est ne præceptum Sumendi Eucharistiam? ℟. Est præceptum Christi *Ioan:* 6. sumendi illud saltem aliquando in vita: præceptum vero Ecclesiæ sumendi illud semel in anno, idq; circa festum Paschæ.

Quær. 40. Quid est Sacrificium? ℟. Est oblatio Deo rei externæ, mediante illius destructione, in recognitionem supremi Dominij Ejus.

Quær. 41. Quid est Sacrificium Missæ? ℟. Est Sacrificium

crificium novæ Legis, in quo offertur Deo verum Corpus & *S*angvis Christi.

Quær 42. Quare dicitur Missa? ℟. Quia in hoc sacrificio mittitur ad nos Christus à Deo, & à nobis mittitur ad Deum.

Quær 43. Quid est *S*acramentum Pænitentiæ? ℟. Est *S*acramentum absolutionis animæ à peccatis virtute clavium.

Quær 44. Quæ est materia *S*acramenti Pænitentiæ? ℟. *S*unt actus p nitentis, nempe: Confessio, Dolor, & satisfactio.

Quær. 45. Quæ est Forma hujus *S*acramenti? ℟. Hæc Verba: Ego Te absolvo &c.

Quær. 46. Quis est Minister hujus *S*acramenti? ℟. Est *S*acerdos habens collatam sibi Jurisdictionem à *S*uperiore legitimo.

Quær 47. Quid est Confessio *S*acramentalis? ℟ Est accusatio peccatorum dolorosa, in ordine ad obtinendam absolutionem facta.

Quær 48. Quotuplex est Dolor? ℟. 2x. Contritio & Attritio, seu dolor perfectus & imperfectus.

Quær 49. Quid est Contritio? ℟. Est dolor conceptus de peccatis ob solam dignitatem & *B*onitatem Dej.

Quær 50. Quid est Attritio? ℟ Est dolor conceptus ex timore pænæ æternæ, vel desiderio gloriæ Cælestis, aut simili motivo revelato à Deo.

Quær: 51. An uterq; hic Dolor confert ad remissionem peccatorum? ℟. Confert sed non æque; nam Contritio justificat animam etiam extra *S*a-

cramentum, modò sit conjuncta cum voto Sacramenti in re. Attritio vero non justificat, nisi conjuncta cum Sacramento Pænitentiæ

Quær. 52. Quid est Sacramentum Extremæ Unctionis? ℞. Est Sacramentum constans unctione Olej Sacri & Sacerdotis deprecatione, ordinatum ad salutem moribundi, quo ad animam & Corpus.

Quær 53. Quæ est Materia hujus Sacramenti? ℞. Materia remota, est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum. Proxima est inunctio certarum partium corporis infirmi.

Quær 54. Quæ est Forma? ℞. Sunt verba præscripta ab Ecclesia in unctione partium corporis infirmo.

Quær 55. Quid est Ordo Ecclesiasticus? ℞. Est Sacramentum novæ legis, quô simul cum gratia, confertur ordinato potestas circa Ministerium Altaris.

Quær 56. Quot sunt Ordines Ecclesiastici? ℞ Septem. Ostiariatus. Lectoratus. Exorcistatus. Acolythatus. Subdiaconatus. Diaconatus & Presbyteratus.

Quær 57. Prima Tonsura est nè ordo? ℞. Non: sed tantum dispositio ad ordines.

Quær. 58. Quid sit prima Tonsura? ℞. Est signum distinctivum Ministrorum Ecclesiæ, per detonsionem Capillorum factàm ab Episcopo.

Quær 59. Quid acquirit sic Tonsuratus? ℞. Acquirit 2plex privilegium, Fori & Canonis.

Quær. 60. Quid sit privilegium Fori & Canonis?

℞. imuni

℟. 1mum designat quod Clericus non possit conveniri & puniri in Persona à Judice sæculari 2dum Quod quicunq; Clericum suadente diabolo percusserit, mutilaverit, vel occiderit anathema sit. Hoc privilegium desumptum est ex Canone: *si quis:* & exinde dicitur Canonis. Utroque autem hoc privilegio gaudet Clericus, quousque gestat habitum & Tonsuram Clericalem.

Quær. 61. Quid est Ostiariatus ℟. Est Ordo Ecclesiasticus per quem traditur potestas custodiendi Ecclesiam, recipiendi dignos, & excludendi indignos: videlicet Excommunicatos, interdictos &c.

Quær. 62. Quæ nam sit ejus materia & Forma? ℟. Materia remota, sunt Claves Ecclesiæ: Proxima est traditio & acceptatio clavium. Forma sunt Verba Episcopi ut in Pontificali.

Quær. 63. Quid est Lectoratus? ℟. Est Ordo Ecclesiasticus per quem traditur potestas legendi Lectiones & Prophetias in Ecclesia.

Quær 64. Quæ nam sit Ejus materia & Forma? ℟. Materia remota est Liber continens *S*acras Lectiones: Proxima est traditio hujus Libri ab Episcopo. Forma sunt Verba Episcopi ut supra.

Quær 65. Quid est Exorcistatus? ℟. Est Ordo Ecclesiasticus, per quem traditur potestas expellendi Dæmones, maxime ne impediant aliquem à sumptione Eucharistiæ.

Quær 66. Quæ nam sit ejus Materia & Forma? ℟. Materia remota est Liber Exorcismorum, Proxima. traditio illius ab Episcopo. Forma, Verba Episcopi.

Quær 67. Quid est Acolithatus? ℟. Est Ordo Ecclesiasticus, per quem traditur potestas accendendi lumina, & deferendi urceolos cum vino & aqua ad *Sacrificium*.

Quær. 68. Quæ nam sit Ejus Materia & Forma? ℟. Materia remota est 2x. nempe: una est candelabrum cum cereo & candela extincta, altera: urceoli vacui. Forma verba Episcopi.

Quær 69. Quæ nam ætas requiritur ad hos 4. Ordines? ℟. Ad minimum ætas 14. annorum.

Quær 70. Quotuplices sunt Ordines? ℟ imo 2plices. Majores & Minores. *Minores* sunt 4 illi de quibus dictum sup. *Majores tres*, Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus.

Quær. 71. Cur aliqui dicantur Majores, aliqui Minores? ℟ Quia Majoribus initiati majorem, Minoribus ordinati minorem recipiunt potestatem circa Ministerium *Sacrificij*. 2do sunt 2plices. *Sacri* & non *Sacri*, *Sacri* sunt tres Majores. Non *Sacri* sunt 4. Minores

Quær: 72. Cur illi *Sacri*, isti non *Sacri*? ℟ Quia Majoribus initiati, [saltem in Ecclesia Latina] sacrantur Deo per votum Castitatis, & per obligationem recitandi horas Canonicas: secus Minoribus ordinati.

Quær 73. Quid ergo est Votum? ℟ Est promissio deliberate facta Deo de meliori & possibili.

Quær 74. Quotuplex est Votum? ℟ imo 2x *Solemne* & simplex. *Solemne est*, quod emittitur in professione Religionis approbatæ ab Ecclesia, vel

per

per susceptionem Ordinis *Sacri* assumitur. *Simplex est:* Quod aliàs à quocunq; emittitur sive publice sive privatim. 2do est 2x. Explicitum & implicitum *Explicitum est*, quod certis verbis seu formis emittitur. *Implicitum* quod re ipsa vg: susceptione Ordinis *Sacri*, cui ex mente Ecclesiæ annexa est obligatio Voti. 3tio est 2x. Aliud absolutum aliud Conditionatum 4to Aliud Perpetuum, aliud Temporaneum. Plura de his Theologi

Quær 75. Quale sit peccatum contra Votum? ℟ Est peccatū *Sacrilegij* contra virtutē Religionis.

Quær 76. Quid sunt Horæ Canonicæ? ℟ *Sunt* certa laus Dej per Canones Ecclesiæ instituta, à Ministris Ecclesiæ persolvenda.

Quær 77. Quot sunt Horæ Canonicæ? ℟ Septem: Matutinum cum Laudibus. Prima. Tertia. *Sexta.* Nona. Vesperæ & Completorium.

Quær. 78. Quomodo recitandæ sunt Horæ Canonicæ? ℟ 1mo Vocaliter, & non solum mentaliter. 2do *Studiose* quo ad officium oris. 3tio Devote quo ad officium cordis.

Quær 79. In quo consistat ista *Studiositas* & Devotio? ℟ *Studiositas* consistit in debita prolatione Verborum. Devotio in attentione animi ad verba, & sensum saltem obvium verborum, maximè autem ad affectum ex verbis conceptum.

Quær. 80. Quid sit Ordo *Subdiaconatus?* ℟ Est *Sacer* Ordo per quem traditur potestas deferendi Calicem cum vino ad altare, & legendi in Missa Epistolam solemniter, videlicet cum Manipulo in leva manu.

Quær. 81.

Quær 81. Quæ nam eſt Materia & forma hujus Ordinis? ℟. *Materia* remota eſt 2x, 1ma Calix vacuus & Patena vacua. 2da eſt Liber Epiſtolarum. *Proxima eſt* traditio horum ab Epiſcopo. Forma ſunt Verba Epiſcopi ut in Pontificali.

Quær 82. Quæ ſunt Munia *S*ubdiaconi? ℟. Diacono miniſtrare, Calicem & Patenam in uſum *S*acrificij ejdem afferre, panem conſecrandum pro populo, in Altari ponere, Epiſtolam, in Miſſa ſolemni canere, Crucem in Proceſſionibus geſtare, Pallas, Altaria & Corporalia abluere.

Quær 83. Quæ requiruntur ad ſuſcipiendum *S*ubdiaconatum? ℟. Potiſſimum ætas & Titulus.

Quær 84. Quæ ætas requiritur? ℟. Annorum 21. completorum.

Quær. 85. Quis Titulus ℟. Beneficij Eccleſiaſtici, vel Paupertatis religioſæ, vel Patrimonij certi & ſufficientis.

Quær 86. Quid eſt Ordo Diaconatus? ℟. Eſt *S*acer Ordo per quem traditur poteſtas ordinato aſſiſtendi proxime *S*acerdoti in *S*acrificio, & legendi publice Evangelium.

Quær. 87. Quæ nam eſt hujus Ordinis Materia & Forma? ℟. *Materia* remota eſt 2x, nempe: Manus dextra Epiſcopi, & Liber Evangeliorum *Proxima item eſt* 2x Nempe: Impoſitio manûs dextræ Epiſcopi, & traditio Libri Evangeliorum. Forma ſunt verba Epiſcopi, ut in Pontificali.

Quær. 88. Quæ nam ſunt munia Diacôni? ℟. 1mò Presbytero *S*acrificanti proxime aſſiſtere, 2dò

Evan-

Evangelium in Missa solemniter legere [scilicet in stola transversim posita] 3. De licentia aut in absentia Parochi solemniter baptizare. 4. De licentia Episcopi populo prædicare 5. In Casu urgentis necessitatis Eucharistiam ministrare.

Quær. 89. Quid est Ordo Presbyteratûs? ℟. Est Ordo *Sacer* per quem traditur potestas ordinato consecrandi Corpus & *Sangvinem* Christi, ac remittendi peccata Fidelibus.

Quær. 90. Quomodo aliter vocatur hæc Potestas? ℟. vocatur potestas super Corpus Christi reale & mysticum.

Quær. 91. Quid est Corpus Christi reale & Mysticum? ℟. Corpus Christi reale est quod assumpsit ex B. V. Mysticum sunt omnes Christiani.

Quær 92. Quæ est Materia Presbyteratûs? ℟. Remota est 2x Nempe: Calix cum vino, & Patena cum hostia. Item utraq; manus Episcopi. Proxima vero Traditio Calicis & Patenæ, ac impositio manuum Episcopi.

Quær 93. Quæ nam est Forma? ℟. Sunt Verba Episcopi, nempe hæc. Accipe potestatem offerendi *Sacrificiū* Deo Missasq; celebrandi tam pro vivis quam pro Defunctis in nomine *Domini*. Item: accipe *Spiritum S.* quorū remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt.

Quær 94. An Presbyter factus, possit mox eo ipso excipere Confessiones, & absolvere Fideles à peccatis?

peccatis? ℟ Nequaquam, sed requiritur ut habeat Jurisdictionem Ordinariam vel Delegatam.

Quær. 95. Qui habent istam Jurisdictionem? ℟ Ordinariam habet Papa, Episcopus, & Parochus. Delegatam cæteri quibus isti concedunt super oves suas.

Quær 96. An quilibet Ordo conferat gratiam *Sanctificantem*? ℟ Quilibet subjecto bene disposito.

Quær. 97. An quilibet Ordo imprimat Characterem? ℟ Quilibet inprimit Characterem distinctum partialem.

Quær 98. Quæ requiruntur ad validam *Susceptio*. Ordinum? ℟ imo Ex parte Ordinantis. Potestas, Intentio, Traditio debita materiæ, & prolatio Formæ. 2do ex parte ordinati 1. ut sit Vir. 2. Baptizatus. 3. Compos rationis. 4. Intentione præditus. 5. Ut tangat Physice materiam Ordinis quem suscipit.

Quær. 99. Quæ requiruntur ad licitam? ℟ *Sex* 1. Ut sit in gratia, idest absq; peccato mortali 2. Ne sit Censuris Ecclesiasticis innodatus. 3. Ne sit Irregularis. 4. Ne sit Infamis 5. Ne sit simoniacus 6. Ne sit omnino rudis illorum quæ scire debet ordinatus.

Quær 100. An Episcopatus sit Ordo distinctus à Presbyteratu? ℟ Probabilissimum est quod sit distinctus, cum & ordinatio Episcopi, & Potestas, & Materia & Forma sint distincta.

Quær 101. An Papatus vel Cardinalatus est Ordo? ℟ Non: sed tantum sunt Dignitates speciales in Ecclesia.

Quær 102. Quid est Sacramentum Matrimonij? ℟ Est Sacramentum inter Baptizatos, quô Vir & Mulier mutuo consensu legitime sibi Corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ Societatem.

Quær 103. Quis est Minister hujus Sacramenti? ℟ Ipsimet contrahentes, Vir & Mulier. Cætera de hoc Sacramento scienda à Confessariis copiosè reperiuntur apud Theologos & Canonistas, Tyronibus hæc Sufficiant.

§ IV.

De Censuris & Pœnis Ecclesiasticis.

Quæritur I. QUid est Censura Ecclesiastica ℟ Est pæna Spiritualis medicinalis, quâ privatur fidelis contumax aliquo usu bonorum Spiritualium.

Quær 2. Quotuplex est Censura, ℟ 3x. nempe. Excommunicatio, suspensio, & Interdictum.

Quær 3. Quotuplex est Excommunicatio, ℟ 2x. Excommunicatio *Major* quæ est Censura privans hominem Christianum bonis fidelium communibus. *Et Minor* quæ privat tantum participatione passivâ Sacramentorum, Dignitatum & Beneficiorum Ecclesiæ.

Quær 4. Quid sunt ista bona fidelium communia, ℟ Quæ indicantur hoc versiculo:

Os, orare, vale, Communio, Mensa Negatur.

Nempe 1. Alloquium familiare. 2. Orationes & Suffragia publica. Sacrificia, Indulgentiæ. 3. Va-

ledictio

ledictio seu apprecatio salutis. 4. Administratio vel susceptio Sacramentorum, & auditio Missæ intra Ecclesiam 5. Consessus ad mensam.

Quær. 5. Ob quam Causam incurritur Excommunicatio Minor, ℟. Ob communicationem absq; justa Causa cum excommunicato excommunicatione Majori, & publicato.

Quær. 7. Quotuplices sunt Excommunicati ℟. *2plices. Alij sunt tolerati & non vitandi* ut sunt omnes non publicati nominatim. *Alij non tolerati & vitandi ut* sunt omnes publicati nominatim.

Quær 8. Quæ excusant à communicatione cum Excommunicato vitando: ℟ hæc *Utile, Lex Humile, Res ignorata, Necesse, idest* 1mo. Utilitas spiritualis excommunicati. 2. Obligatio Legis, qualis est in uxore respectu Mariti, in debitore respectu Creditoris 3. *Subjectio*, ut servorum, subditorum. 4. Ignorantia non affectata de excommunicatione lata. 5. Necessitas gravis, *Spiritualis* aut temporalis, tum excommunicati tum communicantis.

Quær 9. Quid est suspensio? ℟ Est Censura quâ Clericus arcetur ab Exercitio sui Officij vel Beneficij

Quær 10 Quotuplex est suspensio? ℟ *1mo 2plx Ab Officio vel Beneficio. 2do 2x Ab Officio in totum vel in partem 3tiò.* Perpetua vel Temporanea. Plura apud Theologos.

Quær 11. Quid sit Interdictum? ℟ Est Censura privans usu publico Divinorum officiorum, *Sacrificiorum*, ingressu Ecclesiæ, ac sepultura in ea.

Quær 12.

Quær 12. Quotuplex est Interdictum, ℞ Est 3x. *Locale* quod immediate afficit locum. *Personale* quod immediate Personas. *Mixtum* quod simul afficit locum & Personas. 2do Aliud est *Generale* quod fertur generaliter in locum & omnes ejus incolas, vg. in regnum vel Civitatem. *Aliud Particulare* quod fertur in particularem locum vel Personam.

Quær 13. Quid incurritur per violationem Censurarum. ℞ Exercentes actum Ordinis Sacri in Excommunicatione incurrunt suspensionem. Qui in suspensione, incurrunt Irregularitatem. Similiter qui in interdicto. Exercentes autem alios actus non Sacri Ordinis, vg. baptizantes absq; necessitate extrema, peccant tantum mortaliter.

Quær 14. Quid est Irregularitas ℞ Est impedimentum Canonicum, impediens susceptionem Ordinum, & usum susceptorum.

Quær 15. Quot sunt Irregularitates ℞ Sunt potissimum 13. quarum aliæ sunt ex Delicto, aliæ ex Defectu

Irregularitates ex Delicto.

1ma Incurritur ob hæresim vel Apostasiam à Fide. 2da Ex iteratione baptismi scienter facta. 3tia ex Mutilatione membrorum in se vel in alio. 4ta Ex homicidio voluntario sive directó sive indirecto, sive publico sive occulto. 5ta Ex crimine infami & notorio, ut sunt furtum, Simonia, Usura &c. 6ta Ex violatione Censurarum per actum Ordinis Sacri. 7ma Ex furtiva susceptione Ordinum, vel exercitio ordinis quem quis nondum habet.

Irre-

Irregularitates ex Defectu.

1ma. Ex Defectu animæ, quâ ligantur perpetuo amentes. Lunatici. Arreptitij Epileptici Illiterati idest carentes scientiâ ad Ordines. Neophyti hoc est recenter baptisati, donec judicio Episcopi habiles censeantur.

2da Ex Defectu Corporis, qua ligantur Fæminæ, Cæci, surdi, notabiliter deformes, & invalidi ad Altaris ministerium vel Ordinis exercitium.

3tia. Ex Defectu natalium quâ ligantur illegitimo thoro nati, nisi legitimentur.

4ta. Ex defectu ætatis, quâ ligantur pueri impuberes.

5ta. Ex defectu Sacramenti, qua ligantur Bigami, idest qui plures uxores quam unam successive habuerunt, & illi qui unam sed viduam, vel ab alio corruptam habuerunt.

6ta. Ex Defectu Lenitatis, quâ ligantur omnes non solum injuste, sed etiam juste concurrentes ad occisionem hominis seu gravem mutilationem, ut sunt Judices, Instigatores, Actores in Causa sangvinis, & Carnifices.

Quær 16. An Irregularitas sit Pæna ℞ Per se non est pæna, sed tantum impedimentum, per accidens tamen potest esse pæna, ut pro delicto.

Quær 17. Quid est Depositio ℞ Est pæna gravissima, quâ Clericus juridice privatur omni Officio ac Beneficio, arceturq; ab omni functione Ecclesiastica in perpetuum.

Quær 18. Quid est Degradatio ℞ Est pæna omnium extrema,

extrema, quâ Clericus criminosus, publice per Episcopum cum præscripta ceremonia, non solum ab omni Officio deponitur, sed spoliatur vestibus sacris, habitu, & tonsura Clericali, demum privilegio fori & Canonis, traditurq; Judici sæculari.

CAPUT II.
De Doctrina Ascetica.
§ I.

Quæritur 1. Quid est Theologia Ascetica? *Respond.* Est Cognitio Dej ac Divinorum non speculativa sed affectiva, per Sanctas meditationes, per Spirituales lectiones, per adhortationes Magistrorum Spiritus, & continua in bonis operibus exercitia cum lumine Cælesti acquisita.

Quær 2. Quare vocatur Ascetica ℟. Exinde quod potissimum in Asceteriis idest in domibus religiosis traditur & practicatur.

Quær 3. An Theologia Ascetica & Mystica sint idem, ℟ Licet objectum seu finem habent eundem, cæterum inter se differunt maxime per hæc: 1. Quia Theologia Ascetica docet ascensum animæ ad Deum modo ordinario, seu cum lumine ordinario per affectus actusq; pios cum adminiculo imaginationis ac labore intellectus, unde ab Ascetis appellari solet. *Dej ac divinorum sobrie sapida scientia.* Mystica vero Theologia

elevat animam ad Deum modo extraordinario, demergendo mentem & Cor hominis contemplativi in Deum, & quodammodo absorbendo Proinde prior est Cognitio Dej ac Divinorum cum labore acquisita. Posterior vero passim est infusa a solo Deo, vel cum exiguo labore acquisita; quod inde patet; nam Donum Theologiæ Mysticæ datur sæpe numero Pueris & Puellis Sanctis, qui absq; labore & exercitio vacant Contemplationi altissimæ 2. Quia Theologia Ascetica est tantum via & dispositio ad Theologiam Mysticam; nam per meditationem aptatur homo ad contemplationem. Unde Theologia Ascetica est propria tantum incipientibus & proficientibus in vita spirituali, Mystica vero est propria jam perfectorum, idest ab omnibus vitiis expurgatorum, & per virtutes excultorum.

Quær 4 Quod nã sit objectũ utriusq; hujus Theologiæ ℞ Est Deus ejusq; felicissima possessio, quæ vocatur Unio cum Deo. Unde quidquid homo Asceticus meditatur & operatur spiritualiter, ad hoc objectum regulatur ac tendit.

Quær 5. Quis nam sit Finis proximus Theologiæ Asceticæ, ℞ Est perfectio Christiana & Evangelica.

Quær 6. Quid sit seu in quo consistat præfata Perfectio, ℞ In hoc omnes Ascetas convenire, quod Perfectio Christiana & Evangelica consistat in Charitate Dej & Proximi, nam sicut in his duobus præceptis: Diliges Dominum tuum &c. & proximum tuum sicut te ipsum, universa lex pendet

& Pro-

& Prophetæ, ita in eorum executione pendet universa perfectio. Unde & S. Paulus ad Colos: 3. adhortatur: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* In hoc tamen explicando cardo rei & difficultatis vertitur, quo nam modo, qua ratione, in quo sensu Perfectio consistat in charitate? Ad quod varij varie respondent. 1mo Quod Perfectio consumata consistat in Charitate, non tamen inchoata. 2do Quod Perfectio consistat in charitate, tanquam in radice, fonte, & Origine; ut enim [teste S. Greg. hom. 27. in Evang] multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur. 3tio Quod Perfectio consistat in charitate tanquam vinculo & summa omnium virtutum, sicut enim vitium disgregat virtutes, sic charitas congregat omnes virtutes. Quæ quidem omnia vere ac prudentissime dicuntur sed cum animum non quietent, idcirco planius & ad captum aptius resolvunt alij propositam quæstionem. Quod Perfectio Christiana & Evangelica consistat in complexo seu collectione omnium virtutum, quas homo propter Deum exercet; nam illud perfectum dicitur, cui in suo genere nihil deest, ut vg. Corpus dicitur perfectum cui nec pars ulla deest, nec aliqua deordinatio partium adest. Unde merito homines Sancti coram Deo humiliantur, & se perfectos non reputant, quia saltem aliquam virtutem, aut gradum virtutis, ad totam perfectionis structuram sibi deesse conspiciunt. Et Tu quisquis es Religiose,

quantumvis pollere virtutibus videaris, nusquam te perfectum reputa, nunquam in stadio virtutis cessa, sed cum Psalmographo Divino profitere coram Deo: *Imperfectum meum viderunt oculi tui* Psal. 138.

Quær 8. Quotuplex est Perfectio? ℟. imo 2x *Alia est Necessitatis seu de lege præcepti* quæ consistit in exacta observantia præceptorum Dej & Ecclesiæ, & hæc vocatur Communis. *Alia est supererogationis* seu de lege Consilij quæ consistit in exacta observantia Consiliorum Evangelicorum, nempe Obedientiæ absolutæ, Paupertatis voluntariæ & Castitatis perpetuæ. Et hæc est specialis & Ascetica. 2dc *est 2x. Alia Intensiva* quam quis habet exercendo se in plurimis aut omnibus virtutibus, ferventer, intense, heroice, cum magno conatu, labore, ac victoria sui. *Alia Extensiva* quam quis habet exercendo se in plurimis aut omnibus virtutibus, sive remisse sive ferventer.

Quær 9. Per quæ opera proditur ac demonstratur potissimum Perfectio? ℟. Per illa opera per quæ ad ultimum finem nostrum scilicet Deum magis appropinquamus, ipsiq; magis unimur. Talia sunt opera Fidei, Spei, Charitatis, & quæ ex illis procedunt, ut Zelus Divinæ gloriæ, desiderium proficiendi, conformitas cum voluntate Divina, Devotio, Gratitudo, Abnegatio sui, humilitas, patientia, pænitentia, justitia, cæteræq; virtutes quæ in Intellectu & voluntate manent. nam juxta Ps. 44. *Omnis gloria filiæ regis (idest fidelis animæ) ab*

intus,

intus, ideſt à virtutibus internis. Proinde omnes Magiſtri Aſceſeos damnant illos erroris qui Perfectionem collocant magis in exterioritatibus. ſeu corporalibus exercitijs, uti in vigilijs, jejunijs, diſciplinis, peregrinationibus, laboribus, nudipedio alijsq; auſteritatibus, nam per hæc non ita appropinquamus Deo, quam per internas virtutes; nec enim Corpore unimur Deo ſed Spiritu Quo circa Joan. Caſſianus Collat. 3. dicit: *Vigiliæ, jejunia, meditatio Scripturarum, nuditas, privatio omnium facultatum, non perfectio ſed perfectionis instrumenta ſunt, quia non in ipſis conſiſtit diſciplinæ finis ſed per illa pervenitur ad finem.* Unde ſicut non ille dicitur bonus Artifex qui bona inſtrumenta habet, ſed qui perite illis uti novit, ita nec ille perfectus cenſeri debet, qui ejusmodi auſteritates velut inſtrumenta perfectionis ſuſcipit, ſed qui easdem ad debitum finem, ſcilicet charitatem perfectam ordinare didicit. Accedit huic veritati, quod ad externos rigores non omnibus ſunt conceſſæ vires Corporis, cum tamen à vera perfectione nulla ætas, nullus ſexus, nulla Conditio, nulla complexio etiam delicatiſſima excludatur.

Quær 10. Quæ & quot ſunt viæ perfectionis? ℟. Tres nempe 1. *Via Purgativa* quæ in re eſt ſtatus animæ in quo curat deteſtari peccata deplorare ea, vindicare in ſe per pænitentiam, & vitia extirpare 2. *Via Illuminativa* quæ eſt ſtatus animæ in quo conatum adhibet ad ſectandas virtutes, ac in ijs diligenter exercetur, 3. *Via Unitiva* quæ eſt

ſtatus animæ, in quo jam expiata à peccatis, expurgata à vitijs, exculta & expolita virtutibus, unitur Deo per ardentem charitatem, per ferventia desideria ad eum poſſidendum, per frequentia ad Deum ſuſpiria. Prima porro ex his vijs eſt Incipientium, 2da Proficientium. 3tia Perfectorum.

Quær 11. Quod nam eſt Fundamentum harum viarum? ℟. Hoc. Quod ſicut in quolibet progreſſu locali, tres inveniuntur termini, nempe Terminus à quo recedimus. Terminus per quem procedimus. Terminus ad quem accedimus, ut conſtat experientia. Ita in progreſſu Spirituali tres ſunt termini. Terminus à quo recedimus ſunt peccata, vitia eorumq; occaſiones, & hoc fit in via Purgativa. Terminus per quem ſunt virtutes; nam per eas currimus ad ultimum finem noſtrum Deum, & hoc fit in via Illuminativa. Terminus ad quem eſt ipſe Deus, quem attingimus, cui adhæremus, & hoc fit in via unitiva. Haſce tres vias unico verſu expreſſit David Pſal: 33. *Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem & perſequere eam.* Annota tamen: licet hæ viæ ſuo ordine diſponantur, nihil tamen vetat quin earum officia quandoq; miſceantur, nam homo expians vitia poteſt & in virtutibus exerceri, & in ijs ſe exercens poteſt vitia purgare. Deinde in virtutibus ſe exercens poteſt uniri Deo, & ſic unitus, majores virtutum gradus ſibi augere.

Quær 12. An expedit mox ab initio vitæ ſpiritualis ſummam perfectionem ſectari? ℟. Cum P. Lohner. Deſiderium quidem per ſe laudabile eſſe, ſed

ſi uno

si uno quasi impetu & conatu perfectionem quis assequi velit, eum non modice errare, nam ut *S.* Bernard: *Serm:* de *S.* Andr: sapienter advertit: *nemo repente, fit summus, & ascendendo non volando apprehenditur summitas scalæ* Accedit, quod Perfectio ut jam innui non est quid indivisibile [seu ut loqvuntur Philosophi] non est una simplex qualitas, sed aggregatum ex omnibus virtutibus; proinde sicut messor imprudenter uno ictu vellet totum fascem colligere, ita homo qui vellet totam & summam perfectionem simul acquirere.

Quær 13. An peccata ex fragilitate admissa perfectioni obsistant ℞. *Negativè.* *Sicut* enim Dux militiæ, si constanter hostem impugnet & vellicet, egregij Herois nomen obtinet, licet eum non omnino expugnet & deleat, imo interdum minus feliciter pugnet: sic perfectus censeri potest adhuc homo, etiamsi interdum in venialia aliqua ex fragilitate labatur. Nam ut V. Tho. Kemp: l. 2. c. 3. dicit: *Omnis perfectio in hac vita, quandam imperfectionem habet annexam: Quâ ratione S. Hyeron: Ep. ad Celantiam dixit: Hæc una præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectam agnoscas.*

Quær 14. Quæ sunt potissimum Media seu dispositiones ad perfectionem Asceticam acquirendam? ℞ Novem. *1mum Medium est* Intentio bona, pura & recta, cujus signa proponit *S. Bern.* Florileg: c. 117. dicens. pura intentio erit, si in omni actione nostra, aut honorem Dei, aut ædificationem proximi, aut bonam conscientiam quæramus: Duo

quidem in intentione necessaria requiruntur, res & Causa, idest quid intendas, & propter quid. Alij vero hos agnoscunt optimæ intentionis actus 1. In omnibus rebus unicum Dei honorem quærere. 2. Se ipsum oblivisci, & in sola voluntate Dei acquiescere 3. Servire Deo non solum ut id ipsi placeat, sed quia sibi sic servienti placet Deus. V. P. Gasp. Druzbicki Soc. Jes: bonæ intentionis quatuor dilaudat qualitates. 1. Ut sit prompta sine dilatione, morositate ac tædio, ad implendam Dei voluntatem, gustum & beneplacitum Cordis Ejus, talis enim intentio indicium est magnæ devotionis internæ. 2. Ut sit Frequens, idest dietim, horarie vel sæpius renovata, svadetq; ut Religiosus certis temporibus, diebus, horis, tum in actionibus singularibus, renovet generaliter intentionem vg. hoc actu, Volo Domine omnes actus Voluntatis Intellectus, sensuum, hac die, hora, actione, ad solam tui gloriam, amorem, beneplacitum offerre. 3. Ut sit Extensa, idest directa ad plurimos simul bonos fines, vg. dum unam actionem volo exercere pro salute mea, pro salute proximorum, pro impetratione multarum gratiarum, in recompensationem omnium bonorum operum, à me & à quacunq; creatura omissorum. Vel In honorem Dei, B. V. M. omnium SS. in Subsidium animabus Purgatorij, pro conversione peccatorum, hæreticorum, Paganorum &c. 4. Ut sit Intensa, & quasi multa in se complectens, vg. Deus meus, amo Te, facio, patior hoc propter Te, totâ me, toto universo, toto Te.

2dum

2dum Medium est Renovatio seu frequens recordatio præsentiæ Divinæ seu Dei viventis, & omnia videntis, quod exercitium tres potissimum fructus affert juxta P. Nicol: Lancic: scilicet. 1. Præservationem à peccatis; nam juxta *S.* Chrysosto: in Psal. 40. *Ubi est Dej memoria illic est peccatorum oblivio, & malorum interitus.* Unde *S.* Ignat. M. Heroni suo Discipulo hanc unicam præscripsit regulam: *Memento Dei, & nunquam peccabis.* 2. Purificationem animæ à præteritis vitijs & peccatis, juxta illud: Eccl: 22. *In conspectu ejus sanctificabunt animas suas.* 3. Perfectionem seu sublimationem operum bonorum, de quo audi *S.* Laur. Justin: l. de grad: perf: c. 6. *Nihil reor sic efficere ad virtutis arcem conscendendam, quemadmodum cogitare se stare ante oculos Iudicis cuncta cernentis.* Quodsi profecto in oculis humani Regis, nemo nisi insanus officia sua peragit negligenter, imprudenter leviter, imperfecte, quomodo idipsum agere potest in oculis Regis æterni? cujus oculis nuda & aperta sunt omnia, qui simul Judex & testis noster est?

3tium Medium est Frequens renovatio spiritûs, per examina conscientiæ, sive particularia sive Generalia; sicuti enim juxta *Senecæ* dictum Ep. 83. *Hoc nos pessimos facit quod vitam suam nemo respicit,* ita profecto hoc nos optimos & perfectos facit, si vitam nostram, si nostras actiones, passiones, vitia, frequenter lustramus, examinamus, & non conniventer infirma nostra cognoscendo, meliora proponimus & exercemus. *4tum*

4tum Medium est. Constans ardensq; desiderium perfectionis, quod adeo placet Deo, ut Christus dixerit Matt: 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*; nam sicut famelici & sitibundi avidius comedunt vel bibunt, ita viri desideriorum ferventius in sanctis operibus exercentur. Unde merito V. P. Petrus Faber S. J. primus è Socijs S. Ignatij persvasit Sodalitati Parmensi: *Ubi Sacerdos Christi Corpus rite confecerit, aut elevatum ab Ara in sublime populo monstraverit, tunc vos petetis à Deo famem sitimq; justitiæ.* Proinde salutariter excitanda sunt in nobis sancta desideria: vg. Desiderium pauperis exaudi ò Domine, da mihi donum charitatis tuæ, abnegationis mei &c. Desidero habere profundissimam humilitatem, promptissimam obedientiam &c. Vellem & volo Te amare amore Seraphinorum, Bs. V. M. ô utinam in mei contemptu sim Franciscus; in mortificatione sensuum Petrus de Alcantara &c.

5tum Medium est. Cura Minimorum, sive declinandorum ut sunt parvæ tentationes, passiones, & defectus: sive agendorum, ut sunt parvæ observantiæ, occupationes Ritus, Ceremoniæ, nam teste Lancitio T. 1. f. 184. *Recte agere & peccare à minimis ortum habent, & ad magna paulatim perducunt bona vel mala. Et juxta* S. Ambros. l. 1. off: c. 10. *In minimis probandum est conflictibus, quam viriliter in majori certamine stare possimus.*

6tum est Solitudo, sive externa, uti est Anachoretarum,

retarum, sive & magis quidem interna, de qua S. Bern: Serm. 40. in Cant disserit: *De cætero sola tibi indicitur solitudo mentis. Solus es, si non communia cogitas, si non affectes præsentia, si despicis quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant.* De eadem S P N. Franciscus egregium Discipulis suis reliquit documentum. *Corpus est Cella & anima est Eremita, qua moratur in Cella, ubicunq; sit etiam inter homines, ad orandum & meditandum de Deo.* Verbo: solitudo interna consistit in elongatione mentis à curis terrenorum, ab illicijs sensuum, per constantem alligationem mentis & cordis ad Deum. Quæ tanto salutarior est quando Religiosus licet non sit Eremita, nihilominus amat Conventum, Cellam, non libenter evagatur, fugit consortia suorum, extraneorum &c. Unde S. Bern: ubi sup: adhortatur: *Fuge publicum fuge & ipsos domesticos secede ab amicis & intimis.*

7mum est. Filialis confidentia erga Magistros Spirituales, plenaq; subjectio sui arbitrij & voluntatis ejsdem, plana & sincera eisdem apertio sui profectus aut defectus in spiritu, suarum passionum, inclinationum, tentationum, impedimentorum perfectionis &c. Ut enim docet S. Bern: Ep. 87. ad Eugen: *Qui se sibi Magistrum constituit stulto se discipulum subdit.* Et S. Climacus: *Qui (inquit) sibi Dux esse vult spreto Duce proprio, non jam indiget Dæmone tentante quia factus est sibi dæmon.* Plurima & eximia de hoc legere poteris in speculo utriusq; Cleri P. Æmiliani Naisll Tract. 3.

8vum

8vum est. Frequens, devota & humilis communio tam realis quam Spiritualis Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti; cum enim absq; Divina gratia nulla virtus nullaq; perfectio possit acquiri, ubi magis, certius, abundantiusq; hauriri valet quam ex illo Sacramento, in quo ipse fons gratiæ invenitur. Et profecto multi unâ dignâ illius communione plus in Spiritu profecerunt, quam alij per alia exercitia.

9num est Mortificatio tam interioris quam exterioris hominis. De qua habes infra Tractatum VII. quem utiliter legere poteris, & secundum præscripta ibi agere.

Quær 15. Quæ nam sunt potissima impedimenta perfectionis? ℞ Tria hæc. Perversitas animi. Amor proprius. Amor terrenorum seu avaritia irradicata. Perversi enim sicut difficile corriguntur, ita difficulter & vix aliquando ad veram perfectionem perveniunt. Amore proprio laborantes vix unquam se abnegant & odiunt; sine quo tamen; perfectio non potest acquiri juxta illud Christ. Luc. 9. *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* Avari tandem cum sint quodam modo Idololatræ [juxta Apost: 1. Tessal. 2. *Avaritia quæ est idolorum servitus*] nunquam plane ad perfectionem Christianam perveniunt, innumeriq; horum licet casti, sobrij, modesti, humiles, devoti videantur, nunquam tamen sunt homines coram Deo justi & perfecti; nam ubi sunt eorum thesauri ibi est & cor eorum

Quær. 16.

Quær 16. Quod nam est singulare exemplar, & absolutissima Idea veræ perfectionis? ℞ Vita & mores JESU Christi, nam Ipse dixit Luc. 6. *Perfectus omnis erit, si sit sicut Magister ejus* Unde cum idem Salvator dicit: Matt: 19. *Veni sequere me* D. Th. Ang. exponit sic: *Idest imitare vitam Christi;* nam ex Augustino: hoc est totum bonum hominis ut imitetur Christum, ut fugiat quæ ipse contempsit, & eligat quæ ipse elegit. Elegantissime de hoc perorat. *S.* Bonav. in speculo Novit: part: 1. Cap. 32.

§ II.

Quær: 1. QUid sit Religio seu status Religiosus? ℞ Est stabilis & ab Ecclesia approbatus in communi vivendi modus, tendentium ad Christianæ charitatis perfectionem, per vota perpetuæ obedientiæ, paupertatis & Castitatis.

Quær 2. Quod sunt Classes Religiosorum? ℞ Principaliter tres. 1ma Eorum qui tenent vitam contemplativam. 2da Eorum qui tenent vitam activam, quales sunt Religiones militares. 3tia Eorum qui tenent vitam mixtam, idest contemplativam & Activam, quales sunt Religiones Mendicantium.

Quær 3. Quæ nam harum Classium est perfectior? ℞ 3tia, idest Religio quæ tenet vitam contemplativam simul & activam. Ratio hujus petitur ex D. Thoma 22. q. 188. art. 2. Cum enim status Religionis ordinetur ad perfectionem charitatis, quæ

se exten-

ſe extendit ad dilectionem Dei & proximi, vita contemplativa directe ordinatur ad dilectionem Dei, vita activa ad dilectionem proximi, vita Mixta ordinatur ad utrumq; ſimul, adeoq; plus dicit. Deinde quia vita Mixta conformior eſt vitæ Chriſti in terra converſantis; nam talem vitam elegit. Unde S. Doctor loco citato docet: ſummum gradum in Religionibus tenent quæ ordinantur ad docendum & prædicandum. Secundum autem gradum tenent illæ quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius autem eſt earum, quæ occupantur circa exteriores actiones.

Quær. 4. Quis nam eſt Finis Religionis & Religioſorum? ℟. Finis principalis & communis omnibus eſt: Abjectis impedimentis & periculis ſæculi, per opportuna media in quavis Religione præparata Deo ſervire, ad perfectionem tendere, in altera vero vita Deum perfectius videre, amare, poſſidere, ſicq; ad primum creationis ſuæ finem ſecurius pervenire. Finis vero minus principalis & proprius cujusq; Religionis eſt multiplex juxta diverſitatem Regularum, ut vg. ad agendam rigidiorem pænitentiam, ad lucrandas Deo animas, ad ſubſidium charitativum proximis, ad miniſtrandum infirmis, ad rudium inſtructionem &c.

Quær. 5. Quis nam eſt finis ſpecialis & characteriſticus Religionis Seraphicæ F.F. Minorum? ℟. Cum omnes Religioſi dati ſint in ædificationem Corporis Chriſti quod eſt Eccleſia, profecto FF. Minorum finis ſpecialis eſt ædificare Eccleſiam ſeu fideles per

conteni-

contemptum mundi & sui, tota namq; Regula specialiter ea præscribit, & ad hæc strictissime obligat, quæ ad mundi suiq; contemptum ordinantur, nempe ad arctiorem cæteris omnibus paupertatem & humilitatem.

Quær 6. Quæ sunt singularia bona seu felicitates status Religiosi? ℟ Hæc quæ recensuit *S. Bern:* hom: de quar: bon: margar: dicens: O beata Religio, in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosiùs.

Quær 7. Qui nam & quomodo errent circa finem ingrediendi Religionem vel in ea permanendi? ℟ Cum Patre Sigismundo Neydeker in Schola Religiosa. imo illi qui ideo Religionem intrant, vel manent in ea, quia in mundo non habent sufficientia media, unde honeste vivant & sustentari valeant. 2do Jlli qui Religionem amplectuntur ideo quia vident se carere illis qualitatibus, vî quarum ad alium statum aut Officium promoveri possent. 3tio illi, qui intrant vel ex respectu vel ex amore timoreve Parentum Consanguineorum. 4to Jlli qui intrant vel manent, quia audiunt vel sciunt, se ibidem bonum vel forsan meliorem habere victum, amictum, commoditatem, quam in mundo. 5to Jlli qui in mundo vulgares, abjecti, despecti &c. intrant Religionem, ut ibidem intuitu sacri habitûs, honorentur, respiciantur. 6to. Jlli qui intrant vel manent, ut ibidem sine cura & labore otiose vivant.

7mo Jlli qui intrant vel manent animô perveniendi ibidem ad Prælaturas, Dignitates, exceptiones &c. 8vo Jlli qui præcise manent, ne ex causa etiam justa egredientes confundantur & vilipendantur. 9no Qui intrant vel manent nihil curant bonum, utilitatem, honorem suæ Religionis sed proprium commodum, compendium, promotionem &c. 10mo. Qui ex nullo serio fine, sed inconsiderate veniunt, vel propter bonum socium, vel propter pulchrum cantum, ornatum Ecclesiæ &c. Proinde si quis aliquo horum erroneo fine Religionem amplexus est, ut sit coram Deo securus, emendet in melius, mutet frivolam aut perversam intentionem, & novô animô, rectitudine, fervore incipiat Deo servire.

Quær 8. An Religiosus teneatur evadere perfectus? ℞. Cum D. Thoma: ad hoc quidem non teneri, teneri tamen studiose tendere ad perfectionem, per ea maxime media, quæ profitendo Regulam voluntarie in se assumpsit, & exequi vovit. Unde si ea voluntarie omittat, à fine Religionis aberrabit, & utinam non toto Cælo.

TRA-

TRACTATUS II.

De Oratione.

Quæritur 1. QUid ſit Oratio? *Reſp*: Eſt elevatio ſeu aſcenſus mentis ad Deum, ſive eum laudando, ſive bona petendo, ſive deprecando pro peccatis, ſive gratias agendo pro donis.

Quær 2. Quotuplex eſt Oratio? ℞ Duplex Altera *Mentalis* quæ eſt locutio ſolius mentis & cordis cum Deo. Altera *Vocalis* quæ eſt locutio Cordis ſimul & oris cum Deo, in corde enim naſcitur, & ex ore procedit.

Quær 3. Quæ potiſſimum requiruntur ad dignam Orationem? ℞ Duo: nempe Intentio & Attentio. *Intentio* in hoc conſiſtit ut orationem noſtram dirigamus ad aliquem finem bonum, ſanctum & pium, vg: ad gloriam amorem, guſtum Divinum, in gratiarum actionem, ad impetrationem donorum ſibi & alijs. *Attentio* in diligenti applicatione mentis ac memoriæ ad id quod cogitamus vel dicimus in oratione.

Quær 4. Quotuplex eſt Attentio in oratione? ℞. 1ma ad verba ut *ritè* proferantur, & hæc eſt omnino neceſſaria. 2da Ad ſenſum verborum ut literaliter vel ſpiritualiter intelligantur, & hæc non

eſt adeò

est adeò necessaria, ut pote non omnibus concessa. 3tia Ad affectus, ut in corde excitentur, & hæc omnium utilissima est ac meritoria.

Quær 5. Quæ sunt media ad servandam Attentionem? ℞. 1. Ut homo non oret ex usu tantum, sed quasi primâ vice hanc Orationem absolvendo. 2. Ne se oneret permultis orationibus vocalibus, ut docuit S. Philippus Nerius; quanto enim prolixior est Oratio, tanto minor attentio. 3. Ut sibi prudenter dimetiatur homo tempus orandi, nè propter illius angustiam festinare cogatur. 4. Ut sibi designet certa temporis spatia ad renovandam attentionem vg. in initio cujuslibet psalmi, aut Decadis precum, & id genus.

Quær 6. Quæ nam impediunt Orationem? ℞ Hæc quatuor: Cura pungens, culpa mordens, sensus egens, & Dæmon pingens, nempe varia in mente phantasmata.

Quær 7. Quæ nam Oratio sit perfectior? ℞ Mentalis; nam secundum *S. Carol. Borom:* Tanto est præstantior vocali, quanto animus est præstantior Corpore; unde sicut anima vivificat Corpus, sic oratio mentalis vocalem.

Quær 8. Qui sunt fines præcipui Orationis Mentalis? ℞ Juxta S. Bern. 4. nempe: Dei honoratio. Piorum affectuum excitatio. Petitionum coram Deo expositio. Vitæ nostræ correctio.

Quær 9. Quot sunt partes Orationis Mentalis? ℞. Tres scilicet Præparatio, Meditatio, & Conclusio. *Prima pars præparatio*, alia est remota,

alia est

alia est proxima. *Remota* quæ disponit ad Orationem, illam tamen non ingreditur. Consistit vero in his tribus. 1. In desiderio proficiendi in vita Spirituali. 2. In frequenti renovatione ac viva fide præsentiæ Divinæ. 3. In lectione Librorum Asceticorum & colloquijs spiritualibus. *Proxima* vero quæ ingreditur orationem, consistit in his tribus. *1mum est* Vivax renovatio seu excitatio præsentiæ Dei quem alloqui intendis: quod fit per quendam intuitum mentis in Deum, per humiliationem sui coram eo: vg. his actibus. *Vivit Dominus & benedictus Deus meus & exaltetur Deus salutis meæ. Vivit Dominus Deus in cujus conspectu sto! Adoro Te ô Altitudo, ô Dignitas, ô Sanctitas infinita, & vilifico me coram Te. Quis sum ego Domine ut loquar ad Te? ut audiam quid loquatur in me Dominus. 2dum est* Invocatio fervida Divini auxilij contra tentationes & distractiones animi quæ potest fieri tum per illum Rythmum: *Veni S. Spiritus & emitte cælitus &c.* vel per hos actus: *Te invoco Te imploro, spes mea, virtus mea, vita mea Deus, adjuva me ut serio de Te cogitem, ut digne Te laudem. Pater æterne corrobora memoriam meam. Fili Dei illumina mentem meam. Spiritus Sancte inflamma voluntatem meam. 3tium est* Applicatio mentis & defixio quædam in Mysterium vel materiam Meditationis vg: in Passionem Christi, SS. Sacramentum &c.

Secunda Pars Orationis est Meditatio, quæ consistit in his tribus. *1mum est* Consideratio Myste-

rij seu rej ad meditandum assumptæ, per examen seu lustrationem qualitatum & Circumstantiarum ejusdem rei, vg. Quis. Quæ. à quo. Pro quo. Quomodo, Quare, & his similes, quod potissimum incipientibus est perutile, ne absq; regula & ordine, ignorent quo prima ac ultima ponant. *2dum* est Reflexio salutaris super jam considerata ad suum hominem internum, seu ad suos mores & actus, ad suum statum & obligationem &c. *3tium* Sunt pij affectus qui sunt pij motus in voluntate jam illuminata per intellectum, & sunt quasi scintillæ in Cor hominis à Deo injectæ. Hi affectus præcipue sunt. Admirationis, gratitudinis, compassionis, confusionis, doloris, desiderij, gaudij timoris &c. Qui tamen non debent esse steriles, sed ex illis debent ceu ignis ex scintillis erumpereActus, qui sunt effectus quidam & probationes affectuum. Tales actus sunt. Amoris, laudis, gratiarum actionis, deprecationis, petitionis, oblationis, resignationis, humiliationis & id genus: qui tunc accepti sunt Deo, si practico bonorum operationum exercitio comprobantur. Proinde curare debet Asceta, ut convenienter ad Actus elicitos, formet seria proposita, eaq; strenuè exequatur.

3tia Pars Orationis est Conclusio, quæ consistit in his tribus. *1mum est* Colloquium cum Deo, quod quidem varijs formis juxta lumen Cæleste potest institui. Ex multorum tamen Ascetarum praxi, potissimum instituitur per Orationem Dominicam quæ SS. PP. judicio quibusvis alijs precationibus antecellit.

cellit. Formæ ejusmodi collquij dabuntur infra sub qualibet meditatione. *2dum est* Petitio Divini Auxilij pro confirmatione omnium dictaminum, affectuum & actuum in meditatione conceptorum. Tum oblatio eorundem Divinæ Majestati. vg: per hos actus: *Domine quidquid cum Tua gratia in hac oratione concepi, Tibi toto Corde offero. Tu quæ statui perfice, quidquid neglexi corrige, quid quid deliqui parce. 3ttum est* Continuatio orationis, quæ fit per frequentes reflexiones super ea quæ in meditatione hausimus, proposuimus, hoc enim est juxta Apostolum. Thessal. 5. *Sine intermissione orare.*

CAPUT II.
MEDITATIO
De
Passione D. N. *IESU CHRISTI*

ISthæc Meditatio potest institui, sive recolendo particularia Mysteria Passiionis Christi, sive considerando generales ejusdem circumstantias, nempe: Quis patitur? Quæ patitur &c. uterq; modus hic porrigetur breviter: ad captum & usum Tyronum: sit igitur.

CONSIDERATIO I. QUis est qui patitur? *Respondetur* Patitur Deus & Homo. Deus verus de Deo vero. Filius æterni Patris. Jlle Deus cujus essentia est omnis per-

fectio, cujus tempus est æternitas, cujus locus est immensitas, cujus vita est immortalitas, cujus natura bonitas, cujus virtus est Omnipotentia, cujus opus est sapientia, cujus status est beatitudo. Jlle Deus cui serviunt Angeli, cuj omnes Creaturæ obediunt, coram quo Columnæ Cæli contremiscunt. Jlle Deus illuditur, conspuitur, cæditur, conculcatur, blasphematur, patibulo affigitur & moritur.

Jlle Homo patitur. *Sanctior* Angelis & Hominibus. *Sanctus* per unionem Divinitatis. *Sanctus* per gratiæ plenitudinem. *Sanctus* per vitæ innocentiam. Jlle Homo Patriarcha Dignissimus. Propheta fidelissimus. Rex absolutissimus. Filius Virginis Matris speciosissimus, Messias desideratissimus, Pontifex Maximus, Pastor vigilantissimus, Doctor Sapientissimus, sponsus animarum lectissimus, Amicus sincerissimus, Benefactor liberalissimus, Pater amantissimus, *Reflecte Te* Tantus Deus tanta Persona, tanta Dignitas, pro quanto te patitur? an non pro Creatura abjectissima? culice uno, & cane mortuo uno? pro suo hoste, pro rebelli subdito &c. Erumpe hinc in Affectus Admirationis, Compassionis, timoris &c. Elice actus fidei, adorationis, humiliationis sui, doloris de peccatis, fac proposita convenientia.

CONSIDERATIO II. Quæ Christus patitur? ℞. 1mo. Patitur in anima summum mærorem, cujus hæ fuerunt Causæ. 1. Peccatorum etiam nefandissimorum multitudo ac enormitas, quæ mentem ejus purissimam tumultua-

tum

tim obruebat. 2. Zelus Christi contra tot tantasq; Divinæ Majestatis offensas, contemptiones ac injurias, de quo dixit Ps. 118. *Tabescere me fecit zelus meus.* 3. Vilitas atq; indignitas hominum, peccatorum, hostium, ad quos tamen amor Jesu se extendere debebat. 4. Ingratitudo hominum sic à se dilectorum, redemptorum, maximè specialius à se vocatorum, uti Sacerdotum Religiosorum. 5. Exiguitas fructûs Passionis suæ ac sterilitas ejus in innumeris animabus damnandorum 6. Consideratio vivacissima suorum cruciatuum, contemptuum, opprobriorum 7. Dolor mutuus in tenerrimò corde Virgineo Matris suæ, supra omnes Creaturas sibi dilectæ, qui animam ejus ceu gladius millies pertransibat, & viscera pientissima commovebat.

2do. Patitur in Corpore suo delicatissimo summum dolorem, cum in eo nullus fuerit sine vulnere locus, nullus absq; lanicna sensus; nam. 1. Caput ejus benedictum fuit millenis sentibus transfixum, qui usq; ad Cerebrum & oculos penetrabant. 2. Aures à petulca hominum fæce ignominiosè vellicatæ, sannis & blasphemijs impletæ. 3. Oculi castissimi, fimeto, arenâ, pulvere oppleti, inhumaniter contusi, natantes in lacrymis, & largo sangvine. 4. Nares olidis fæcibus in putido Cedrone, in Caiphæ carcere irritatæ. 5. Os pugnis contusum, luxatæ gingivæ, dentes emoti. 6. Roseæ Genæ ac veneranda facies alapis immaniter cæsa, ac sputis defædata. 7. Collum gravibus catènis & contortis funibus ad ossa excisum. 8. Humeri trabali pondere

Crucis, attriti, onerati, & graviſſime vulnerati. 9. Pectus, cor & pulmones à dolore, langvore, deliquio ſuffocati. 10. Dorſum flagellis diriſſimis ad coſtas laceratum, ac in fruſta pene conciſum. 11. Genua in ſcabroſo montis aſcenſu concuſſa, debilitata. 12. Manus pedesq; trabalibus clavis contuſi, confixi & transfoſſi. Totum deniq; Corpus JESU inhumaniſſimè raptatum, ſudibus, pugnis, lanceisq; protruſum, omni decore ſpoliatum, propudioſe nudatum, ad terram lapidesq; toties alliſum, inhumaniter conculcatum, in Cruce quaſi equuleo diſtentum; verbo: unâ beſtiâ pejus fuit tractatum.

Reflecte te hinc, & attende: quanta JESUS amore tuæ ſalutis patitur? quantilla tu amore ejus, amore animæ tuæ, facias aut pateris? Erumpe in affectus admirationis ſuper JESU amorem & dolorem, ſuper Judæorum furorem, ſuper tuam duritiem & ingratitudinem. Elice actus confuſionis ſui, compaſſionis, ſalutationis ſingulorum ſenſuum Chriſti.

CONSIDERATIO III. A quo Chriſtus patitur? ℟. imo. patitur imputativè. Tum à Deo Patre, qui ſic dilexit mundum ut Filium ſuum Unigenitum daret pro eo, & traderet ad horrendos cruciatus. Tum à ſe ipſo, ideſt à propria voluntate, à proprio idq; flagrantiſſimo humani generis amore, à ferventiſſimo redemptionis noſtræ deſiderio; nam dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis. Tum à SS. Matre ſua, SS. Patriarchis & Prophetis, qui aſſiduis gemitibus

mitibus optarunt, implorarunt futuram Christi Passionem. Tum deniq; à dæmonibus qui totam vim, rabiem, industriam exerebant ad cruciatus & ignominias Christi.

2do. Patitur realiter à gente olim electa & dilecta, tot beneficijs suis cumulata & obstricta. A scribis, Pharisæis, Sacerdotibus, Deum verum colentibus, Prophetias de Christo legentibus & scientibus, ac solo livore, odio in eum tabescentibus. A Judicibus iniquis, à Ministris impijs, à lictoribus crudelissimis pretio conductis & coruptis, à lixis vilissimis, diabolico furore percitis & concitatis. Ab illis quoq; non paucis, qui in eum jam crediderant, qui miracula ejus viderant, qui beneficia sanitatum ab eo acceperant. 3tio. Patitur affectivè à peccatoribus; nam unaquæq; plaga, quodlibet vulnus repræsentabat aliquod genus, speciem, vel numerum peccatorum. Tum etiam quatenus Christus prævidebat ab innumeris peccatoribus contemnendam, conculcandam, & in dies per scelera renovandam suam Passionem, juxta illud Aposto: *Hæbr:* 6. Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dej. Reflecte Te, hinc & considera: Cælum, Terra, & infernus commovetur, desævit in Christum innocentissimum, imo nec sibi ipsi parcit, ut te redimat & salvet. Quid mirum si te affligant nonulli homines? si divexent, tentationes, si morbi, si infausti casus alterent? hominem nocentissimum, & fors mille inferis dignum?

Errumpe in affectus admirationis, gratiarum acti-

onis

onis Deo Patri, ipsi Christo, Ejusq; Matri. Elice actus doloris, detestationis peccatorum, propone emendationem &c.

CONSIDERATIO IV. PRo quo Christus patitur. ℟. 1mo. Patitur Christus quantum ad sufficientiam Passionis, quantum ad desiderium nostræ redemptionis, pro omnibus omnino hominibus tam electis quam reprobis. Patitur porro Crea-tor pro vilissimis creaturis: patitur Amator æternus pro odiosis & ingratis, patitur Innocentia pro sui cordis tortoribus; patitur merus & mirus Amor pro suis inimicis & Crucifixoribus. Patitur pro injustis utconvertantur & salventur: patitur pro justis ut amplius sanctificentur. 2do Patitur quantum ad finalem efficaciam pro solis amicis, electis & prædestinatis. illis nempe qui in illum vivâ fide credunt, qui amore ejus fervent, qui zelant pro ejus honore, qui salutem animarum studiose curant, qui amore ejus quæq; adversa constanter patiuntur, qui terrena contemnunt. æterna concupiscunt, qui se heroicè abnegant & vincunt, omnemq; Dei offensam aversantur. Hæc namq; sunt prædestinatorum signa & stemmata electorum Dei.

Reflecte te hinc. Num hæc Signa in te elucescant? num efficacem in te sperare valeas Passionem Christi? si elucescunt, humiliter age gratias Deo, & cum timore salutem tuam operare. Si secus? exhorresce, & juxta S. Aug: Si non es predestinatus

fac ut

fac ut prædestineris, id est age, æmulare opera electorum Dei, nè tuâ tepiditate sterilem reddas tantam Passionem. Erumpe in affectus timoris. Elice actus doloris de peccatis, petitionis ut Passio Salvatoris tui sit tibi fructuosa & salutifera. Propone aliquid heroicum propter amorem JESU tui.

CONSIDERATIO V. QUomodo Christus patitur? ℟. Quadrupliciter. 1mo. Amanter seu gratanter; nam patitur ex summo amore sui Patris æterni, ita ut quodcunq; sustinuit, potuisset dicere: Ut sciat mundus, quia diligo Patrem! Item ex amore omnium & singulorum hominum, pro quibus se vadem & fidejussorem obtulit æterno Patri & quorum redemptionem, sanctificationem & glorificationem ardentissimê sitiebat. 2do Obedienter; subjecit namq; voluntatem suam Deo Patri absolutissimè: at quod magis subjecit eam Judicibus iniquis, hostibus infensissimis, lictoribus sævissimis, imo & ipsis dæmonibus cruciatuum suorum cooperatoribus. 3tio. Patienter: nec Verbo nec Signo quopiam indignationem præseferendo, nullum in doloribus levamen quærendo, nullum respirium admittendo, nullam vindictam cogitando, imo inimicis veniam exorando, Verbo: tanquam agnus coram tondente se obmutuit & os suum non aperuit. 4to. Humiliter. nam quasi novissimus virorum factus est opprobrium hominum & abjectio plebis. Pro malefico impostore, seductore habitus, pro fatuo, blasphemo,

sacrilego

sacrilego proclamatus, inter sceleratos reputatus, patibulariâ morte mulctatus &c.

Reflecte te: quomodo JESUS in passione sua patientiam exhibet singularem, humilitatem admirabilem, obedientiam absolutam, charitatem inæstimabilem. Quomodo tu in his virtutibus profeceris? quomodo eas vel in minimis molestiis exerces? An exemplum patientis JESU attendis?

Erumpe in affectus desiderij virtutum Christi. Elice actus confusionis, vilipensionis tui. Propone aliquod opus singulare humilitatis, vel obedientiæ, vel patientiæ.

CONSIDERATIO VI. QUare Christus patitur? ℟. Aliæ Causæ fuerunt ex parte Dei, aliæ ex parte nostri. Causæ ex parte Dei fuerunt 1. Ostensio Divinæ Sapientiæ, dum idem est Redemptor qui & Creator, ut uni Deo debeamus nostram salutem, & reddamus gratitudinem. 2. Ostensio Divinæ Justitiæ, cuj ad æqualitatem satisfacere pro peccatis non potuit, nisi Persona dignitatis infinitæ 3. Ostensio charitatis & misericordiæ Divinæ, cum tam magnô pretiô Sangvinis Christi redemit captivos, sublevavit miseros, & in gratiam recepit inimicos. Causæ ex parte nostri. 1. Ut convincamur quanto odio Deus habet peccata, quæ tam gravibus cruciatibus in dilecto Filio suo voluit expiari. 2. Ut nos doceret Deus, quanta damnati patientur pro suis peccatis, si Christus tam dira pertulit pro alienis. 3. Ut nobis Christus esset pro exemplo contemptus, humilitatis,

litatis, patientiæ, mortificationis &c. quæ omnia in summo gradu commonstravit in tota sua Passione. 4to. Ut nobis Christus quasvis hujus vitæ miserias, tribulationes, dolores, ac mortem dulcoraret; cum ipse Sanctus & innocens tam dira & extrema sustinuit. 5. Ut nobis Christus patiens esset fomentum & illicium nostri erga se amoris; nam si nostra saxea corda non afficiuntur tanta pro nobis patienti, quid si nihil, aut modicum aliquid pateretur?

Reflecte te, an ignaviam cordis tui exemplum patientis JESU excitet & depellat? an duritiem animi tui, tantus e us amor penetret ac emolliat?

Erumpe in affectus æstimationis Divinæ Sapientiæ, apprehensionis Divinæ Justitiæ, redamationis Divinæ charitatis, timoris pænarum infernalium. Elice actus approbationis, adorationis istarum Divinarum perfectionum, Gratitudinis, odij peccatorum, humiliationis, amoris erga JESUM amorem tuum Propone in heroico amore ejus exerceri, actus illius frequenter elicere.

Conclusio harum Considerationum, per Orationem Dominicam.

Pater noster qui es in Cælis. O Pater misericordiarum, qui dilectum Filium tuum tradidisti, ut redimeres servum, respice me filium iræ, filium vindictæ, filium gehennæ, & amore ejus qui pro

me tam dira pertulit, ne projicias me à facie tua; neq; despicias in æternum. *Sanctificetur nomen Tuum* in tota Passione Filij tui contemptum, blasphematum: utinam sanctificetur per omnes actiones meas, per Sancta opera hominum & Angelorum. *Adveniat Regnuum tuum:* quod comparavit nobis laboribus, sudoribus, doloribus suis, Filius dilectionis tuæ. *Fiat Voluntas tua sicut in Cælo & in terra* ut simus memores ac grati tantæ Passionis eam in Corde fovendo, eam per bona opera nobis applicando, & per malorum sustinentiam adimplendo. *Panem nostrum &c.* Panem Angelicum qui de Cælo descendit, frumentum electorum in Passione contritum da nobis in alimentum animæ, in delectamentum cordis nostri. *Et dimitte nobis debita nostra* Per meritum amarissimæ Passionis Christi, per sangvinem ejus pretiosum, per viscera Misericordiæ tuæ. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* amore & imitatione ejus, qui inimicis suis ignosci petiit in Cruce, & pro transgressoribus oravit. *Et ne nos inducas in tentationem* quæ nos deberet vincere, & ab amore tuo separare *Sed libera nos à malo* non gaudendi fructu Passionis Christi, non videndi faciem tuam, non amandi Te in æternum.

CONSI-

CONSIDERATIONES
De Myſterijs Paſſionis Chriſti

Chriſtus in horto ſudat & comprehenditur.

CONSIDE: I. QUomodo exultat Salvator noſter ad currendam viam Paſſionis? Quam alacri paſſu, hilari mente, hymnô cantatô viam proſequitur ad hortum, ut attonitos redderet Diſcipulos? Quam humiliter genuflexus, licentiam patiendi & moriendi accipit à ſua Matre benedictâ? Quam amanter Diſcipulos à tentatione cavere ac vigilare doceat? Quantô fervore, quantâ inſtantiâ procidüus in terram Patrem æternum exorat? Quam reſignatè ad præſentatos ſibi omnes cruciatus, voluntatem ſubijcit? Quantum ex conſideratione peccatorum noſtrorum dolet, pavet, tædet, & mæret? in omnibus ſenſibus, venis, arterijs violentiam agoni ſimilem patitur? Quam largum ſangvinem ex toto corpore ſuo profluit, qui usq; in terram decurrebat? Ah! ô quam majora patitur ex horto egrediens? Ab ingratiſſimo Juda nefariè traducitur, doloſe proditur, & fraudulentum oſculum benignè ſuſcipit. Ab hoſtium cohorte, funibus, catenisq; conſtringitur, raptatur, pugnis calcibusq; protruditur, in fætidum Cedronem unâ beſtiâ vilius proijcitur, ſordibus fædatur, ut execrabilis Principibus appareret.

Reflecte te ſuper horum ſingula. Admirare in

Chriſto

Christo patiendi pro te desiderium, in te damna patiendi Christiformiter fastidium. Attende JESU erga Matrem suam reverentissimum, erga discipulos tenerrimum affectum: & recogita tuam in cultu ejusdem Matris desidiem, in charitate proximi languorem duritiemq; cordis. Revolve tuam in oratione ariditatem, in adversis renitentiam voluntatis. Demum perpende tantos JESU contemptus, dishonores ac dolores.

Erumpe in affectus admirationis & compassionis. Elice actus doloris, amoris. Propone aliquem dishonorem, ingratitudinem, heroicè pro Christo decoquere.

Christus apud Annam & Caipham.

CONSI: II. QUam probrose dignissimus JESUS à tumultuante cohorte, inter sannas & ludibria, ad Curiam Annæ adducitur? Quam torvis lividisq; oculis ab eo respectatur, de imposturis inquiritur. temere judicatur, & tacet fere ad omnia? Pro mitissimo responso quam recipit mercedem? Alapam, non solum ignominiâ, sed etiam immanitate gravem, inflictam manu armatâ, ita ut Christus in terram sit prolapsus, ita ut dentes omnes concusserit sangvinemq; ex illis emoverit. Alapam! à quo? a vilissimo homunculo, ab ingrato beneficij Malcho, cui præcisam aurem non pridem restituerat. Insuper exceptâ unâ alapâ in genis, mox secundam excipit in corde: illam ab ingrato Malcho, hanc ab infido discipulo Petro,

dum ad unam compellationem ancillæ pernegat, ejurat Christi consortium, nomen ac Personam, idq; iterum ac iterum sub anathemate confirmat. O! quæ demum in Caiphæ domo patitur JESUS! Adjuratus per Deum vivum, Filium Dej se palam fatetur, non tamen é duris Cordibus elicit fidem sed rabiem. Pro impostore, Sacrilego, blasphemo à furente Caipha proclamatur, ab impijs Ministris sputa, convitia, pugnos & colaphos refert. Ad carcerem inhumaniter trahitur, propellitur, totâq; nocte ea patitur opprobria, quæ rabies Luciperi excogitare, quæ malitia hostium exercere potuit, quæ nec Evangelistarum calami exprimere valuerunt. *Summo* mane ad Concilium perductus vix spirans, vix hians, pudore, fætore afflictus, audit iniqua contra se decreta, inter 72. Assessores vix unum vel alterum agnoscit suæ faventem innocentiæ.

Reflecte te super his omnibus doloribus, contemptibus dilectissimi JESU & perpende, an aliquando non fueris ingratus Christo, Benefactori tuo, Malchus? qui enim cæsus est olim alapis Judæorum, nunc cæditur blasphemijs falsorum Christianorum. An non fueris tibi nimium præfidens & Christo infidus Petrus, ejurans illius si non nomen, certe mandata, consilia salutaria? An non Caiphas desæviens in Christum vel in membra ejus sub colore zeli, pietatis? Erumpe in affectus intimæ compassionis. Elice actus doloris de peccatis, fidei in Christum. Propone diffidentiam in tuis viribus, agnosce tuam in bono inconstantiam.

Christus

Christus apud Pilatum & Herodem

CONSI: III. QUomodo infensissimi Judæj decernunt Christum offerre Pilato Præsidi ad mortem condemnandum! ô quantis cum ludibrijs, clamoribus, improperijs ad Pilati Curiam trahitur, ligatus catenis iniquo Judici sistitur, calumnijs obruitur, à falsis testibus accusatur? Ad latratus hostium tacet, adeo ut miraretur Pilatus, ejusq; innocentiam agnosceret. Remittit proinde JESUM ad Herodem: à quo ob mirum silentium & modestiam spernitur, pro fatuo judicatur, & more scurrarum albâ veste induitur. Rursus ad Pilatum inter ludibria & sannas adducitur, Barabbæ latroni ab eo componitur, à Judæis postponitur acsi latronibus pejor? Quomodo nullâ in eo causa mortis agnitâ impius Præses, tradit illum in manus & voluntatem hostium? ô quam lætabantur, ô quam exultabant de vincto JESU quasi victores captâ prædâ! ô quam propudiose vestibus spoliant, & virginea illa candidissimi corporis membra denudant? ô quantus rubor, ô quantus pudor insedit modestjssimas dilecti JESU genas! quanta implevit faciem Ejus verecundia? Ah: quot oculi tot tortores! ô quanta cum ferocitate alligatur uni Columnæ? vinciuntur manus ejus tornatiles aureæ contortis funibus, tam barbarè tam inclementer ut liverent, rigerent, & sangvinem prolicerent. Ah cum quanto furore militum ære corruptorum cæditur, laceratur, exaratur, & in frusta conciditur,

duratis

duratis nervis, flagris virgisq; ſpinoſis? tot mille plagas, tot mille ſubit vulnera, usq; ad coſtas excarnificatus. Demum ceu beſtia vilis relinquitur, nullo medicamine fotus, nullo cordiali præter ſangvineas emorientis Matris ſuæ lacrimas relevatus.

Reflecte te ſuper innocentia tui JESU, ſuper mirabili ejus inter calumnias ſilentio & patientia, ſuper extremis contemptibus, ſuper inhumanis & diris cruciatibus. Diſpice tuam in minimis dishonoribus ſenſibilitatem, commotionem, vindictam &c. in minimis doloribus remurmurationem, conniventiam corpori tuo &c. Erumpe in affectus intimæ compaſſionis, admirationis. Elice actus gratulationis innocentiæ Chriſti, adorationis profundiſſimæ pro tantis contemptibus. Propone aliquod opus humiliationis, diſciplinam &c.

Chriſtus JESUS Spinis coronatur

CONSIDE IV. Quomodo vix ſpirans præ dolore JESUS, rurſum à militum cohorte arripitur, violenter propriâ veſte acretâ recentibus vulneribus exuitur, unâ ſordidâ laciniâ ad ludibrium induitur? Quomodo denſis acutisq; ſpinis coronatur? quæ cranium, cerebrum, ipſosq; oculos penetrarunt, aures benedictas lancinarunt? Quomodo in uno vili trunco locatum illuſorie adorant, inſultant, blasphemant, milleq; probris impetunt? Quomodo velatum diris afficiunt, alapis implent, dicentes: Prophetiza quis te percuſſit? Quantum in corde JESU dolorem hæ illuſſiones &

contemptus exivere? Ut rescivit hæc infanda Pilatus, ut vidit sic cruentatum, sic afflictum JESUM, animo commotus, produxit illum in publicum, toti populo monstravit dicens: Ecce Homo! ac si diceret: veniat vobis in mentem hunc esse hominem non bestiam! ô corda inhumana! ô mentes insensatæ!

Reflecte te super tot novis doloribus, vulneribus, illusionibus Regis tui, perpende tam dira in corpore, tam amara in Corde patientem JESUM, & revolve quomodo vivas? num ad honorem, num ad confusionem Domini tui? num tot spinas non defixisti in ejus capite quod commisisti culpas? An non toties Majestati ejus illusisti, quoties proposita sancta, vota, juramenta infregisti? proximos tuos irrisisti, contempsisti, conturbasti? Ah! abominatio Domini est omnis illusor!

Erumpe in affectus intimæ compassionis, prosternere isti Regi amabili, redde homagia profundissima. Elice actus adorationis, redamationis. Versa in animo illam S. Bernardi Glossam: Ecce homo supra hominem! Ecce homo infra hominem! Ecce homo intra hominem! Ecce homo supra hominem! Propone illusionem tui patienter decoquere, ab illusione aliorum abstinere.

Christus IESUS Crucem bajulat.

CONSIDERATIO V. QUomodo inaudito à sæculis exemplo, infame patibulum crucis portare cogitur JESUS? Quomodo hu-

do humeris mitissimi Agni enervatis, concisis, & excoriatis, ponderosa Crucis moles violenter imponitur? quam amanter illam suscipit? quam fortiter bajulat? usq; ad suffocationem, usq; ad defectionem virium? Proinde toties sub tanto pondere corruit, allidit caput, faciem, manus genuaq; ad saxa. Toties convulneratur spinis, lictorum pedibus conculcatur. Ah! ô quot scommata, insultationes, blasphemias, maledicta, auribus excepit à numerosissima plebe? Quam commota sunt viscera ejus, super occurrente sibi dilecta Matre sua, quæ mærebat, & dolebat & gemebat, & langvebat videns tantas Nati pænas inclyti, quæ se pro eo ad crucem, ad mortem ex corde offerebat? illaq; suis precibus evicit ut socium itineris & adjutorem oneris admittere dignaretur. O quantum dolorem in Corde JESU vel hoc emovit, quod innumeros viderit socios consolationis, nullum voluntarium comitem suæ Passionis! Unus Simon Cyreneus succollat onus Christi, at ô quàm invitus, quàm reluctans? exemplo cæteroquin patientiæ suæ inflammatus, spontè deinceps tulit crucem, quam illibenter accepit. Perpende tandem, quanto cum furore oneratus JESUS raptabatur? quomodo facies Ejus benedicta àb insolenti, populi fæce, luto, arenâ, fimeto oppleta fuerit? quam oculi ejus à largo sangvine & sordibus caligaverint? qvam omni decore fuerit spoliatus? adeo ut B. Veronica exhorruerit, & piâ devotione linteum abstergendo vultui JESU admoverit, mercedemq; suæ pietatis,

 imaginem

imaginem vultus Ejus receperit? Attende insuper quomodo jam exhaustus viribus sub crucis trabe procumbat, langveat, quasi torculari oppressus? Quid levaminis referat? fel abominabile, myrrham & acetum.

Reflecte te super singulos dolores JESU, tam in corpore quàm in animo. Dispice an Mariam consolantem, Veronicam compatientem, Simonem succollantem JESUM, imitere? num illos illusores, contemptores, conculcatores onerati Christi.

Erumpe in affectus admirationis super furorem Judæorum, compassionis super Filium dolentissimum & matrem dolentissimam. Elice actus adorationis, amoris, doloris &c. Propone aliquam Crucem internam vel externam amore Jesu fortiter sustinere.

Christus JESUS Crucifigitur.

CONSIDERATIO VI. QUomodoò vix jam hiantem JESUM sævissimi tortores, vestibus concretis sangvine violenter ac propudiose spoliant, coronam spineam abstrahunt & rursus violenter intorquent, novaqꝫ vulnera infligunt? In paratam crucem gravi impetu proijciunt, Manus innocentissimas ad foramina catenis & funibus attrahunt, clavis trabalibus concutiunt, vulnerant & transfigunt, pedes similiter raptant, attrahunt, & cum intolerabili dolore perfossos configunt, extendunt velut in equuleo Regem Martyrum & virum dolorum. Ah! quomodo ne à corporis mole de Cruce decideret, in terram diabo-

diabolicâ rabie facietenus convertunt, clavorum cuspides reflectunt? & totum IESUM ut vermiculum unum conterunt? O quanto cum dolore tam dira tormenta pertulit JESUS? ô quanto vidit hæc Mater ejus amantissima? quot pulsus fuêre clavorum, tot in Corde ejus gladij dolorum! quot vulnera excipiebat JESUS in corpore, tot pia Mater in Corde. Obtulit JESUS in ara crucis in salutem nostram sacrificium Corporis, obtulit pia Mater Sacrificium Cordis.

Reflecte te, quomodo cor tuum saxeum hæc tormenta dilecti tui permovent? An & quomodo afficeris JESU Crucifixo! Quoties gemis, ejulas super tantis cruciatibus JESU? An Christo confixus es cruci cum S. Paulo, per fortem dilectionem, per votorum observantiam? &c.

Erumpe in affectus intimæ compassionis, desidera amorem dolorem Bs. Virginis super Filium suum. Clama ad Cor ejus vix hians & spirans: Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac ut tecum lugeam: Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè. Elice actus amoris, gratitudinis. Propone frequentiorem, ferventiorem memoriam amarissimæ JESU Passionis.

Christus moritur & sepelitur.

CONSIDERATIO VII. QUomodo jam semine-cem JESUM impij carnifices cum trabe crucis in aerem leuant? Quot machinis, quot funibus, quot contis pendulum

è Cruce JESUM nunc in hanc nunc in aliam partem impellunt? deniq; in excavatum ſcrobem cum gravi impetu deijciunt? O quanta cum anguſtia ad terribilem hanc concuſſionem disjuncta ſunt Chriſti membra, conturbata interiora ejus & cuncta oſſa cum incredibili dolore loco mota? O quam aperti canales pretioſi ſangvinis! quos impiorum pedes conculcabant, Angeli *SS.* colligebant, *S*ancta amatrix Magdalena ſervabat. Quomodo nihilominus amantiſſimus JE*SUS* ſeptem ultimis verbis condit teſtamentum! Hoſtibus ſuis exorat veniam, Latroni offert paradiſum, Lectiſſimam Matrem, commendat Joanni, Joannem Matri. *S*itim ſalutis noſtræ ardentem declarat. Derelictum ſe abſq; omni ſolatio docet. Patri in manus puriſſimum *S*piritum commendat. Conſummatum eſſe omne, quidquid Prophetæ prædixerunt, conteſtatur. Et inclinato capite emiſit *S*piritum. Jam mortem oppetiit Author vitæ, ſed nondum hoſtium furor ceſſavit. Inſultant mortuo JE*S*U, nec ullas majores legitur blasphemias pertuliſſe quam pendens in cruce. Jam defecére in ſæviendo manus Judaicæ, ſed lingvis pungunt ut gladijs, traijciunt ut ſagittis. Unus inſuper militum lanceâ latus ejus aperuit & cor transfixit, reſiduumq; ſangvinis & aquæ ex illo emovit. Judæi ut ſceleratum & infamem abſq; honore ſepulturæ in patibulo relinquunt. *S*epelitur tamen ab amicis, deploratur à Joanne, Magdalena & alijs paucis, conditur ungventis, à Matre dolentiſſima uberrimis lacrymis irrigatur.

Reflecte te quomodo tu toties levasti JESUM in sublime, dum illum ori tuo in Sacramento apponis! Revolve singula morientis JESU verba, & ex illis concipe documenta salutis & stimulos amoris. Demum, an non aperuisti aliquando contra JESUM lingvam tuam? an non blasphemasti verbis vel operibus? Erumpe in affectus compassionis, redamationis. Elice actus doloris, deprecationis, gratiarum actionis pro tanta Passione.

Propone Dolentissimam Ejus Matrem imitari.

Colloquium cum Deo Patre, cum Christo patiente, & SS. Matre Ejus.

O Pater æterne! quousq; misericordia tua super exaltat judicium? ut servum redimeres, Filium dilectionis tuæ tradidisti. O mira miseratio! o charitas sine modo! ut adoptivo recedenti à te parceres, Unigenito & consubstantiali Filio non pepercisti, sed Eum propter scelus populi tui percussisti. O mira Justitia! peccavit iniquus & punitur justus! deliquit reus & innocens punitur! offendit impius & punitur Pius! admiror tantam Charitatem, adoro tam severam Justitiam, & timeo tot sceleribus meis millies irritatam. *Sed* respice quæso benignissime Rex quis patitur? Intuere dulcem natum pro me toto corpore saucium, & remitte meum reatum. Cerne manus innoxias, pio manantes cruore & remitte placatus scelera, quæ

patra-

patrarunt manus meæ. Aſpice mitiſſime Conditor Filij dilecti Humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plasmatis debilitatem. Vide Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. Cerne Redemptoris ſupplicium & redempti dimitte delictum. *Si* me [ut dignum eſt] pro mea deſpicis iniquitate, reſpice me ſaltem pro dilectæ ſobolis charitate. Reſpice tremendum cunctis poteſtatibus Caput, ſpinis coronatum, arundine percuſſum, & dimitte capitis mei nefandos cogitatus. Reſpice in ſpecioſiſſimam Faciem ſputis deformatam & alapis cæſam, & ignoſce impudentiam faciei meæ. Reſpice in ſereniſſimos oculos lacrymis perfuſos & remitte extollentiam oculorum meorum. Reſpice in os gutturq; ſvaviſſimum felle & aceto potatum: & ignoſce quidquid peccavi per verba & palatum. Reſpice in collum humile dorſumq; flagellis laceratum, & obliviſcere quod duram cervicem contra te geſſi. Reſpice venerabile Pectus, amoris *Sacrarium*, & dimitte rabiem & odia quibus pectus meum fuit inflammatum. Reſpice in ſacra miſericordiæ genua, pro nobis in oratione flexa, Pedesq; adorandos clavis confixos, & dimitte quod ambulaverim in via iniquitatum. Reſpice in Latus & Cor mitiſſimum, lanceâ militis perforatum, & dimitte pravos cordis mei affectus. Reſpice hæc omnia Miſericordiarum Pater & miſerere mei. Habes utiq; in Filio, quo propitieris ſervo.

O abæterne Amator meus! ô innocentiſſime, O dolentiſſime JESU! Quid commiſiſti lectiſſime Juvenis,

nis, ut sic judicareris, ut adeó dure tractareris, immaniter cædereris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis? certè nihil meruisti, nisi quia nimis amasti: amor Te in has angustias redegit, amor in hæc tormenta impulit, amor ad omnia pro me subeunda instigavit. Ego sum qui peccavi, ego Te prodidi, ego flagella supra dorsum tuum congregavi, ego in Caput tuum spinas impegi &c: ego tuorum primus carnificum, ego tui sangvisuga cruoris fui, ego vulnera vulneribus addidi, dum iniquitatem apposui super iniquitatem. Ego sum o JESU tui plaga doloris, Tuæ occisionis culpa, Tuæ mortis meritum, Tuæ vindictæ flagellum. Quid igitur retribuam Tibi pro tanta charitate? quid pro tanta mea impietate? fundam sangvinem, sed nocentissimus est, dignissimus quem canes lingant & porci spurcissimi conculcent, fundam lacrymas, sed immundæ & venenatæ sunt? Gemo tamen & ululo ad pedes tuos, faciam mihi luctum velut draconum, faciam planctum quasi strutionum. Exitus aquarum deducant oculi mei, neq; tacebit pupilla oculi mei, dum Te sic me amantem cerno, sic dolentem pro me video. O utinam dulcissime JESU congregentur in cerebrum meum, in oculos meos omnes illæ lacrymæ, quas super Te effuderunt, & adusq; fundunt omnes SS. Amatores & Amatrices tuæ, & præsertim illæ quas cum sangvine mistas eliquavit Mater pulchræ dilectionis Dolentissima Virgo. Et quia omnibus sensibus potentijsq; meis te offendi & Passionem tuam nul-

lres renovavi, adduco Tibi omnes hos ficarios tortoresq; Tuos! Ulciſcere Domine in illis injurias Deificati Cordis tui, ure, ſeca, affli ge, & ego dicam: Merito hæc patior quia in Te peccavi Fratrem meum in aſſumpta carne dilectiſſimum, in Patrem amantiſſimum, in Sponſum lectiſſimum. Infige omnibus membris meis pretioſiſſima vulnera tua, ſenſus in obſequium captiva, & ad ſerviendum Tibi coapta, ut toto me Tibi ſerviam, qui toto te pro me es paſſus. O pretioſiſſima JESU vulnera, amoris monumenta, redemptionis noſtræ pretia, ſalutis meæ pignora! adoro vos, ſaluto vos, exoſculor vos, invoco vos: Salvete, ſalvate me! O Crucifixe JESU, totus mihi quæſo figaris in corde, qui pro me totus fixus es in Cruce. O Regina dolorum: ô Mater Filij Dei mæſtiſſima! o mare amaritudinum MARIA! cujus animam gladius pertranſivit, cum verbera cum vulnera Tui dilectiſſimi nati inſpiceres. Sit mihi obſecro cor tuum ſchola compaſſionis, ſit mihi palæſtra & exercitium pro Te & Filio Tuo patiendi. Vulnera quæſo ô Domina cor meum & in corde meo, tuam & Filij tui renova Paſſionem. Rumpe cor meum ô Mater doloroſiſſima, & calentibus lacrymis reſolve illius glacidium, ut liquefiat amore patientis JESU. Per illos pectoris æſtus, & per violenta deliquia cordis tui precor, inflamma cor meum frigidiſſimum, emolli duriſſimum, ut æſtuet, ardeat, totumq; ignitâ vi amoris JESU conſumatur. O utinam Materno corde tuo compatiar Filij tui doloribus! ô

utinam

utinam corde Filij tuis angoribus: Tu enim ô Mater benedicta in Passione illius doluisti super omnes Creaturas, quia super omnes illum nosti & amasti. Tu simul cum dilecto Filio dirè flagellata, spinis coronata, cruce attrita, in cruce confixa fuisti, dum quod JESUS visibiliter sustinuit, Tu invisibiliter es perpessa. Vidisti JESUM morientem in corpore, vidit te JESUS commorientem in corde. O quanti fluctus tristitiæ obruerunt animam tuam, dum eunti ad mortem occurreres, cum morituro valediceres, dum conculcatum cerneres, dum acclavatum respiceres, dum mortuum roseo sinu exciperes, dum sangvineis lacrymis deplorares, & sepulchro reconderes. Per has omnes angustias amantissimi Cordis tui te obsecro, impetra mihi uberem fructum tam amaræ Passionis, tam copiosæ redemptionis. Impetra mihi ut Passio JESU in vita me confortet in bono, in morte protegat à malo. Et dum ad mortem venire me cernes, respice pientissimis oculis, quibus morientem Filium respexisti. Obvia mihi tunc Mater honorificata, præsenta caligantibus oculis pretiosa vulnera Filij tui ostende viscera Maternæ pietatis tuæ. Monstra te esse Matrem, recipe me in filium, & redde Filio tuo, ut per te me suscipiat, qui tecum patiente me redemit. *Præmissos affectus & actus si sæpius relegeris & in praxim deduxeris, pro certò parient tibi uberiores alios; nam sicut ignis generat alium ignem, sic unus affectus alium in corde gignere solet.*

CAPUT II.

MEDITATIO

De

SS. Euchariſtiæ Sacramento.

CONSIDERATIO I. QUis eſt iſte qui ſumitur in *SS. Sacramento?* Et quis eſt homo à quo ſumitur? ℟. 1. Ille qui ſumitur? eſt verus Deus & Homo. *Altiſſimus* in Majeſtate, Dignitate, Sanctitate, omniq; cogitabili perfectione, tam increata quàm creata. *Profundiſſimus* in humilitate, quam in tota vita, Paſſione ac morte luculenter demonſtravit, at in hoc Sacramento mirabilius conteſtatur, dum ad unam vocem Sacerdotis etiam peſſimi mox è Cælo deſcendit, in manus quandoq; impiorum ſe tradit: ad votum cujusq; in os ejus ſe demittit, in fæda viſcera ſe deponit. Ah: quot porrò contemptus, abjectiones, injurias tolerat à Judæis, hæreticis, ſagis, & alijs nefarijs hominibus? *Latiſſimus* in charitate, quam extendit usq; ad lethales inimicos, ad ingratos, pro eorum ſalute in cruce moriendo, & in hoc Sacramento præſentiam ſuam ubiq; terrarum usq; ad diem judicii exhibendo. *Longiſſimus* in ſua Divina immenſitate, in humanæ ſalutis deſiderio, in expectatione noſtræ converſionis, diu tolerans peccatorem, diu ſuſtinens vaſa iræ in interitum,

teritum, diu pulſans ad Cor ejus, diu clamans, rogans, vociferans, ut reſipiſcat, ut ſalvetur.

2. Jlle à quo ſumitur Chriſtus, eſt homo, vilis & abjectus conditione mortalis fragilisq; naturæ, vilior conditione multiplicis culpæ, viliſſimus conditione ſervitutis diabolicæ. Eſt ſuperbiſſimus in ſchola humilis Chriſti, elatus faſtuoſus ambitioſus, nimium ſibi confidens, amoris proprij mancipium, cæcus ad proprios defectus, oculatus ad alienos. Eſt arctiſſimus in Dei & proximi charitate, parciſſimus in redhibenda Deo gratitudine, in Sanctis deſiderijs. Eſt breviſſimus in laudibus Divinis, in fructuoſis laboribus, in mortificatione paſſionum, in ſalutaribus propoſitis &c. Reflecte te hinc ad Chriſti JESU excellentias & virtutes, hinc ad contraria in te vitia & malas qualitates. Adora, extolle JESUM, te ex animo argue, vilifica.

Erumpe in familiarem S. Patriarchæ noſtro affectum: *O Deus meus & omnia! Quis tu es Domine, & quis ſum ego?* eidemq; immorare. Elice actus fidei, adorationis, doloris, de peccatis, confuſionis ſui, deſiderij &c. tales namq; actus exquiſitiſſima ſunt præparatio ad Communionem. Propone frequenter hodie in memoriam revocare: *Hodie Deum meum ſuſcepi, hodie factus ſum Conviva Chriſti!* Conclude per orationem Dominicam ut infra.

CONSIDERATIO II. QUæ nobis dantur in hoc SS. Sacramento?

℟. 1mo. *Dogmaticè* Datur nobis vera Deitas & Huma-

Humanitas JESU Christi. Proinde cum Divinitate Christi dantur nobis [modo quodam ineffabili] omnes perfectiones Divinæ & illa Dei bona excellentissima, humanum captum numerumq; excedentia. 2do. *Affectivè* Datur nobis in hoc mirabili Sacramento Corpus Christi conceptum ex Spiritu S. ex Virginea Matre absq; illius corruptione generatum, speciosissimum præ filijs hominum, immaculatum, incorruptibile, gloriosum, sole & stellis clarius, sed usui nostro velatum, & in illo omnes partes Deitate consecratæ, ita ut homini communicanti videatur dicere JESUS: Ecce do tibi Caput meum quod pro vobis spinis coronatum est: Do oculos qui pro peccatis vestris fontes lacrymarum facti sunt! Do aures pro vobis contumelijs oppletas. Do os meum pro vobis alapis contusum: Do manus & pedes, acutissimis clavis terebratos. Do viscera mea amore ardentia, præ dolore commota & contorta. Do Corpus totum flagellatum, quod nihil nisi vulnus erat.

Datur nobis sangvis JESU purissimus, amoris sui fomentum, redemptionis nostræ inæstimabile pretium, Reliquia Sacratissima Virgineæ suæ Matris, alimentum olim corporis sui, nunc vero animarum nostrarum dulce nutrimentum.

Datur nobis Anima ter Sancta, ter beata, nostri amore toties usq: ad mortem contristata: & in ea intellectus omni Sapientiâ cælesti plenus, voluntas nulli peccato obnoxia, memoria nusquam salutis nostræ oblita.

Refle-

Reflecte te, ô quanta tibi dantur in Christo & cum Christo? apprehendisti ne? æstimasti nè tanta bona? quæ tam rarò memoriæ tuæ obversantur? quæ tam langvidum in te sui desiderium eliciunt? Attende quod tibi det JESUS quidquid est & quidquid habet? Tu quantilla JESU dare soleas? quanta tibi reservas? O utinam aliquando des totum pro toto!

Erumpe in affectus admirationis, gaudij &c. Elice actus fidei, adorationis, desiderij, salutationis omnium membrorum Christi: illo vg: *S.* Ignatij affectu: O Anima Christi sanctifica me. Propone hodie saltem aliquid donare Christo, quod Cordi ejus gratum intellexeris.

CONSIDERATIO III. PRo quo Christus se ipsum tradidit in *SS. Sacramento*? ℟. 1. Pro confirmatione Ecclesiæ suæ, sicut enim panis materialis corpus nutrit & cor hominis confirmat, ita hic Panis de cælo continuo descendens, Corpus Christi *Mysticum* [quod est Ecclesia seu fideles ejus] alit, vegetat, in *Spiritu* & confirmat: idcirco pollicitationem suam dedit *Matt 28.* Ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi 2. Pro fidei, & amoris nostri probatione, dum sub velamento specierum absconditus & invisus, credi vult a nobis & amari. 3. Pro purificatione nostri à maculis peccatorum; Sangvis enim Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis juxta Apostolum. 4. Pro consolatione in tribulationibus; cum & in *Sacramento* sit Pa-

ter

ter Misericordiarum & Deus totius consolationis. 5. Pro unione nostri secum; quid enim magis unitur quam alimentum cum alito? unde sumentes Christum reddimur ipsi quoddammodo concorporei & consangvinei; non tamen mutatur in nos Christus, sed nos in ipsum tranformamur. 6. Pro illuminatione nostra tum in vita, tum in umbra mortis, sicut *Luc. 24.* discipulorum oculi sunt illuminati, dum eis frangeret panem, scilicet Corpus suum sub speciebus. 8. Pro viatico nostræ peregrinationis ad Patriam cælestem; unde solet dari ingredientibus viam æternitatis. 9. Pro arrha & pignore beatitudinis æternæ, ut canit Ecclesia: O *S*acrum Convivium in quo Christus sumitur &c. & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Reflecte te an plerosq; fructus hujus *S*acramenti in te sentias? an post tam frequentes Communiones in fide JESU fortior, in amore ferventior, in conscientia serenior, in mente purior evaseris? quos & alios fructus Eucharistiæ veri servi Dei experiuntur.

Erumpe in affectus gratitudinis nomine totius Ecclesiæ, æstimationis tantorum fructuum Elice actus vivæ fidei, amoris Dei Eucharistici, confusionis tui. Exora Dominum JESUM ut in te fructum plus afferat: Propone fidem & amorem JESU aliquo singulari opere comprobare.

CONSIDERATIO IV. A quo sumendum est hoc Sacramentum? ℟. Sumendum est à filio Dei, cum sit verè Panis filiorum, non autem à filio diaboli. Porro filij Dei

ſunt. *1mò* Qui credunt in nomine ejus fide magnâ, fide vivâ quæ per charitatem operatur, ideſt prodit ſe per opera charitatis Dei & proximi, per intimam reverentiam hujus adorandi Myſterij, per deſiderium ardens, per frequentes devotas Communiones. *2do* Pacifici; quoniam ex oraculo Chriſti, filij Dei vocabuntur, hi ſcilicet qui diligunt pacem conſcientiæ, qui ſervant pacem cum proximis ſuis; nam illi qui ſunt quaſi vaſa iniquitatis bellantia, qui multos turbant pacem habentes, qui rixas excitant, qui odia fovent in Corde, qui ſeminant inter Fratres diſcordias, etiamſi quasdam virtutes habere videntur, non ſumunt digne in Sacramento Chriſtum, qui eſt Deus pacis. *3tio* Illi qui juxta Apoſt. *Rom*: 8. aguntur Spiritu Dei, ejus inſpirationibus ſanctis humiliter obſequendo, gratijs cooperando, donis fideliter ac ſtrenuè utendo.

Filij vero diaboli ſunt potiſſimum quos *S.* Scriptura comparat canibus ad vomitum ſuum reverentibus, & ſuibus lotis in volutabro luti. Tales ſunt. *1mo* Recidivi in peccata poſt tot Confeſſiones, poſt tot pia monita, poſt tot fracta propoſita, vota, juramenta. *2do* Conſvetudinarij in aliquo peccato, qui occaſiones offenſæ Dei quærunt, fovent, ac voluntarie omnino peccant. *3tiò* Perverſi animi homines, non agnoſcentes gravitatem peccati, excuſantes, palliantes peccata ſua. Tales enim omnes non tam humane delinquunt, quam diabolice, ſcilicet inflexibiliter, taliumq; vita continuum

est peccatum, idcirco vix aliquando per singularem Dei gratiam convertuntur. Reflecte te citra omnem conniventiam, è quorum sis numero filiorum? Dei an diaboli? Examina te circa fidem tuam, circa charitatem & mansvetudinem. Vide an in anima tua non regnet aliquod peccatum inolitum, & longâ consvetudine pene in naturam conversum? Vide an recto corde cum Deo, & hominibus procedas? Perversi enim difficile corriguntur. Quæ videris mala, omni conatu emenda.

Erumpe in affectus fidei, confusionis tui. Elice actus doloris, detestationis intimæ peccatorum. Propone heroice extirpare peccatum, frequentius tibi, aut consvetudinem malam, vindicare in te per aliquas pænitentias.

CONSIDERATIO V. QUomodo sumendum est hoc Sacramentum?

℟. 1. Cum viva fide hujus Mysterij tam absconditi tam velati; nam in Cruce latebat sola Deitas, at hîc latet simul & Humanitas Christi, utraq; tamen hic credi debet. 2. Cum conscientia pura, idest ab omni peccato mortali & affectu ad illud depurata. Proinde juxta monitum Apost: probet se ipsum homo & sic de pane illo edat & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indigne judicium sibi manducat & bibit. 1. *Cor*: 8. 3. Cum profunda reverentia, tam interna quæ consistit in humiliatione cordis coram Christo, uti supremo Rege ac Domino, quam externa, quæ consistit in modestia omnium sensuum, ac eorum compositione & colle-

ctione

ctione tali quæ nullum faſtum vel levitatem præſeferat in accedente ad hoc Peraugustum Sacramentum. 4. Cum timore & tremore; ille enim ad quem ſumendum accedit homo, judex eſt, in cujus manu eſt vita ſi dignè, & mors, ſi indigne ſumatur juxta illud: *Mors eſt malis vita bonis.* 5. Cum recogitatione ſeu memoria Paſſionis & mortis Chriſti, recolendo maxime quod eâdem charitate offerat ſe pro noſtra ſalute Chriſtus in Sacramento, quâ ſe nobis obtulerat Deo Patri in Paſſione & morte. Unde hortatur Apoſtolus: Quotiescunq; enim manducabitis Panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 1. *Cor: 8.*

Reflecte te, ſuper hæc omnia, & revolve animo jam fidem tuam, an ab omni errore, dubio, circa hoc Myſterium ſit expedita? an piâ affectione & intimo amore Chriſti toties intra te manentis comprobata? jam conſcientiam tuam, an bene examinatâ, an per ſinceram confeſſionem, intimam contritionem, per emendationem vitæ expiatâ accedis? jam reverentiam tuam in templo, in præparatione, in acceſſu ad S. Comunionem? jam timorem filialem erga Chriſtum ut Patrem, qui te tam dulciter nutrit, erga Sponſum dilectiſſimum, qui ſe totô animam tuam amplexatur, unireq; ſibi deſiderat. Jam raram forſan vel cogitationem de Paſſione Domini: Erumpe in affectus confuſionis tui ipſius.

Elice actus fidei, doloris de peccatis, humiliationis. Propone melius semper expiare conscientiam, meditari Passionem Domini, & reverentiam omnem huic Mysterio exhibere.

CONSIDERATIO VI. Quare tam multi ex frequenti S. Communione minus proficiunt? ℟. Hæ potissimum sunt Causæ. 1. *Defectus Intentionis seriæ ac elevatæ*, cum ferè ex consvetudine tantum ad S. Communionem accedunt, aut ad Sacrificium celebrandum, ex timore, vel lucri temporalis gratiâ: proinde cum modica, aut quandoq; nulla animi præparatione. 2. *Defectus legitimæ dispositionis* quia scilicet vel conscientia non est sufficienter purgata à peccatis, vel certe terrenis cupiditatibus est infecta. 3. *Defectus devotionis in ipsa sumptione* eò quod ad hanc mensam non aliter fere accedunt, quam ad corporalem mensam acceditur. Qui cibum non præmansum deglutit, parum aut nihil gustûs percipit: pari modo neq; Eucharistiæ fructum dulcedinemq; percipiet, qui non attentâ consideratione summi doni ac beneficij hujus se ad devotionem excitare studet. 4. *Defectus gratiarumactionis intimæ* quæ vel brevissime ac tepide, vel vocetenus tantum, vel ex consvetudine sola, vel quandoq; nec minima instituitur. 5. *Defectus collectionis* & extroversio mentis ac sensuum post Communionem, in morem Judæ, qui sumptâ buccellâ Corporis & sangvinis Christi continuò exivit, & quorsum exivit? ut JESUM quem susceperat mox traderet:

deret: & quomodo exivit? nunquam ad Cor, nunquam rediturus ad JESUM. Quid enim prodest, balneum calefactum ingredi, si mox apertis undiq; januis calor exulet? Quid juvat ungventum pretiosum infundere in vas fractum, unde statim effluat? Reflecte te, num his, & omnibus forsan defectibus non laboras? & attende unius Ascetæ ponderosas veritates? 1. Infirmus Domine qui tecum non exhilaratur, valdè prope est ut cadat. 2. Anima quæ tecum non exultat, unde potest exultare? 3. Qui dum Te hospitem habet, properat ut loco exeat &c. facile ostendit, se cor habere alibi obstrictum. 4. Cui tecum manere tædium est, nescit quod tu sis Deus, & totum bonum ejus. 5. Qui tecum Domine non est contentus, ostendit se phrænesi laborare.

Erumpe in affectus timoris, humiliationis sui coram Christo, de istis defectibus tuis. Elice, actus optimæ intentionis, desiderij gratitudinis &c Propone deinceps majorem devotionem, majorem collectionem spiritus post S. Communionem.

Conclusio harum Considerationum per Orationem Dominicam.

Pater noster qui es in cælis. O quam vere Pater es, qui beatos in Cælis pascis tuâ Divinitate, nos autem exules in terris pascis Humanitate Filij

tui. *Sanctificetur nomen tuum.* pro hoc cælesti convivio, pro hac Cæna magna, pro hac mensa Deifica, quam in conspectu nostro parasti. *Adveniat regnum tuum* regnum dilectionis Filij tui, ut illum amemus in Sacramento, & illum videamus in Cælis absq; velamento. *Fiat voluntas tua &c.* voluntas illa: Venite comedite panem meum, ut illum digne Te, in vita & in morte sumamus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.* Panem Angelicum, panem svavissimum de Cœlo præstitum, ut eo saturemur, impingvemur, vivamus, & in gratia tua, in virtutibus augeamur. *Et dimitte nobis debita nostra.* Pretio sangvinis JESU Christi, quem pro peccatis nostris fudit in Cruce, & rursus effundit in Sacramento. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* O utinam eâ charitate, quâ JESUS ad suos debitores se demittit' *Et ne nos inducas in tentationem*, cujusvis erroris aut diffidentiæ de veritate hujus Mysterij. *Sed libera nos à malo.* Sacrilegæ, indignæ, tepidæ communionis, & cujuslibet irreverentiæ hujus ter Sancti, ter augusti, ter mirabilis, ter amabilis Sacramenti. Amen.

APPENDIX ima.

Pro Accessu & Recessu ad Sanctissimum SACRAMENTUM.

QUamvis tota præmissa Meditatio satis disponat accedentem ad *SS.* Sacramentum: opportunum.

num tamen videtur adijcere nonnulla, quæ jam proxime accedentem seriosius & compendiosius disponant.

Imò Itaq; in Accessu. Junctis manibus versus pectus in modum Crucis, tanquam ligatum per crucem se sistendo Deo, mente collectâ cum profunda humilitate & admiratione, alloquere Christum: *Domine*, unde mihi hoc, ut tu Dominus & Deus venias ad me, & uniaris mihi? Quis enim tu es Domine, & quis sum ego? Tu es abyssus Essentiæ, ego vero sum abyssus nihili. Tu es suprema Intelligentia, incomprehensibilis sapientia, ego mera cæcitas, vesania, insipientia. Tu es mare bonitatis, ego vorago omnis malitiæ Tu es fons omnis puritatis, ego latrina omnis fæditatis. Tu es Rex meus, ego tibi rebellis subditus. Tu es Pater misericordiarum, ego vero Filius perditionis. Tu es Benefactor meus, ego verò bestia ingratissima. Tu es Pastor meus, ego vero ovis errabunda. Tu es Cælestis Magister, ego Judas in schola tua. Tu es meus Medicus, ego tui cordis venenum. Tu es vita, ego cadaver putidum. Tu es veritas æterna, ego dolus & perversitas. Tu es thesaurus Divinitatis, ego abyssus mendicitatis. Tu es Cor meum, ego vero lancea Longini. Tu es Filius Virginis Matris, ego vero Filius diaboli. Tu es Deus & Homo, ego vero dæmon incarnatus. &c. Quomodo ergo ad Te præsumam accedere, in fæda viscera traijcere? Domine non sum dignus ut intres &c. *propter peccatorum meorum gravitatem,*

Domi-

Domine non ſum dignus &c. *ob tantam beneficiorum ingratitudinem.* Domine non ſum dignus &c. *ob tuam ſublimitatem meamq; vilitatem.* Verum tamen ingredere Domine in cor meum in illo amore quo intraſti in caſtiſſimum uterum Virginis Beatiſſimæ, in illa patientia, qua intraſti Caiphæ carcerem, quâ aſcendiſti in Crucem &c. Credo quia tu es ipſe Rex meus & Deus meus.

2do. In Receſſu firmâ fide,, & inflammato affectu dic in corde: Ecce quod concupivi habeo, quod ſperavi jam teneo, ipſum ſolum poſſideo, quem toto corde diligo. Adoro te devote latens Deitas, toto me, toto univerſo humano, Angelico, Mariano. Credo Domine & procidens adoro Te cultu Latrevtico. Credo quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi qui ad me deſcendiſti. In hac fide Filij Dej vivo, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum propter me. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus. Quid enim mihi eſt in Cælo. & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?

Demum collecto Spiritu quaſi in medio Angelorum SS. conſtitutus erumpat in affectus. Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ecce meus JESUS, ſe naſcens dedit mihi ſocium, conveſcens dedit in edulium! Venite ô Amatores JESU Sancti Angeli, venite adoremus & procidamus ante Deum, reddamus Domino gloriam & honorem. Venite omnes potentiæ meæ, omnes ſenſus mei, adoremus hunc

Regem

Regem clementissimum, amemus hunc sponsum Lectissimum. Tandem convertens se ad Christum salutet ipsum vel illo *S.* Bernardi mellifluo Rythmo: *Salve mundi salutare, salve, salve, IESU chare, cordi tuo me aptare, vellem vere tu scis quare &c.* Vel illâ *S.* Aug: praxi. Ave principium nostræ creationis Ave principium nostræ reparationis. Ave Sacrificium nostræ reconciliationis. Ave antidotum nostræ curationis. Ave viaticum nostræ peregrinationis. Ave refugium nostræ tribulationis. Ave præmium nostræ expectationis.

Laudo te ô amor fortissime, glorifico te ô amor dulcissime, magnifico te ô Amator benignissime pro hoc bonitatis tuæ effluvio, quod ad me indignum venisti, quod mihi Te in cibum & potum dedisti. Gratias ago Tibi ô bone JESU pro te ipso, cordibus, affectibus, omnium, qui Te unquam in Sacramento hoc receperunt. Affectu totius Ecclesiæ tuæ sanctæ, affectu ipsius Dilectissimæ Virginis Matris tuæ Mariæ.

O Divinitas JESU, effundere hodie in totam animam meam, & quia Te capere non possum, tu me cape, submerge in te, absorbe in te per amorem.

O Anima Christi Sancta in omnibus potentijs actibusq; tuis, sanctifica profanatam animam meam, deturpatam memoriam, obtenebratum intellectum, depravatam voluntatem meam. O Corpus Christi ex Matre sumptum purissima, purifica me totum, & omnes partes sensusq; meos, ut nullo te deinceps offendam.

O Sangvis Christi JESU, Purpura æterni Regis, libera me quæso de sangvinibus, extingve in me humorem libidinis, accende cor meum frigidum, inebria me sanctis desiderijs. O Cor JESU Deificatum, Angelis & hominibus venerabile, Æthna Sancti amoris, Victima Divinæ iustitiæ, Asylum humanæ miseriæ, uni me tecum inseparabiliter, suscipe me intra te in illo amore, quo Longini lanceam suscepisti. O Vulnera JESU gloriosa, amore salutis meæ suscepta, in Cælo reservata, in hoc Sacramento abscondita, in vos me demergo, in vobis me recondo, Omnes Salvatoris mei perfectiones, dotes, virtutes, merita, dona, in hoc Sacramento reposita, reddite me participem Dignitatis & Sanctitatis vestræ. O quantus quantus es mi JESU, fac me participem virtutum tuarum, innocentiæ tuæ, misericordiæ tuæ &c: fac me hæredem gratiæ tuæ & consortem gloriæ tuæ.

Deniq; potes te convertere ad totam SS. Trinitatem, gratias agendo pro tanto beneficio, petendo per JESUM varia dona. Ad B. V. Obsecrando ut tuam suppleat indignitatem tepiditatem &c.

APPENDIX 2da.

De Communione Spirituali.

CUm non cuilibet fideli concessum sit, quotidie, tanto minus horarie, Corpus Christi realiter sub speciebus sumere, multorum pietas adinvenit modum spiritualiter illud sumendi quoties libuerit.

Iſta porro Spiritualis Communio conſiſtit in fide viva & deſiderio ad Chriſtum in Sacramento abſconditum directo, ut innuit S. Aug. *Ut quid paras ventrem vel dentem, crede & manducaſti; qui enim credit in eum, manducat eum* Communicandi ſæpius hoc modo uſum & praxim porrexit olim ipſe Chriſtus S. Gertrudi, B. Imeldæ Virgini, B. Agathæ à Cruce, quæ ducenties per diem hoc pium exercitium peragebat. Proinde & tu ô Religioſe maximo animæ tuæ fructu, in hoc velis exerceri, ſive corporaliter viſitando SS. Sacramentum, ſive mentaliter mittendo cor tuum per S. Angelum Cuſtodem ad Eccleſiam & proſternendo coram Chriſto Euchariſtico; quod potes etiam breviſſimo tempore perficere, vg. tali modo.

Adoro Te ô Deus meus, ô Amor meus. Credo firmâ fide te eſſe vere præſentem in SS. Sacramento. Amo Te ſuper omnia, & amore Tui doleo toto corde de omnibus peccatis meis. Deſidero te millies, mi JESU quando venies, me lætum quando facies? Sentiat quæſo mens mea dulcedinem præſentiæ Tuæ.

Tum collecto Spiritu dicat in corde.

UNi me tecum o bone JESU inſeparabiliter. Dominare Tu mei ſolius & non dominetur mei omnis injuſtitia. Non dimittam te Domine, donec mihi benedixeris &c.

Hæc Spiritualis Communio potiſſimum inſtituenda eſt in auditione Miſſæ. In Examine conſcientiæ tam Matutino quam Veſpertino. AP.

APPENDIX 3tia.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

QUantæ sit excellentiæ, quantæve utilitatis sit Missæ Sacrificium, in quo offertur Corpus & sangvis Christi, toti SS. Trinitati, paucis excipe *ex S. Laur. Iustin: Ser: de Corp: Christi.* Nullo [inquit] alio Sacrificio honorificentius laudatur Deus, quam per Altaris immaculatam hostiam, quam præcipue ob divinæ laudis exhibitionem complendam, Ecclesiæ suæ Christus offerendam instituit. *Et paulo infra.* Quâ nulla major hostia, nulla utilior, nulla amplior, nullaq; oculis Divinæ Majestatis est gratior, dum honorem Deo, Angelis contubernium, exulibus Cælum, religioni cultum, justitiæ debitum, normam Sanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, unitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtutibus robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, peregrinantibus viam, & pervenientibus tribuit speciem.

Accedit his, quod ipse Christus cuidam Sanctæ Personæ revelaverit. Uno Sacrificio Missæ devote ut par est celebrato vel audito, sibi tantum honoris amorisq; exhiberi, quantum præstaretur ab omnium cordibus, eorumq; in suo amore studijs, conatibus, fervoribus & excessibus. Idem Salvator dixit aliquando S. Gertrudi: Quantumlibet aliquis sit peccator, modo cum reverentia & devotione

intima

intima assistat Missæ, eum se libenter tolerare.

Pensatis itaq; excellentijs ac fructibus Missæ, æquum est ut homo Asceticus, non quomodocunq; assistat huic ter sancto Sacrificio, ut passim solent rudes & tepidi, vel imperiti Asceseos, quibus satis est, ut in Missa Breviarium recitent, Coronam Bs: percurrant, vel alias preces, vix aut nullatenus ad Mysteria Missæ attendendo, taliumq; multi intersunt quidem Missæ, sed eam vere non audiunt, cogitentq; num satisfaciant quoq; præcepto audiendi Missam, cum non hic sit scopus & finis illius præcepti, sed longè sublimior. Proinde ad hunc errorem, & anilem persvasionem depellendam. *Nota 1.* Sacrificium Missæ principaliter offerri & audiri debere, in recognitionem supremi & absolutissimi Dominij Divini in omnes Creaturas, & earum omnimodæ subjectionis ad Deum. Deinde in adorationem, laudem, ac exaltationem totius *SS.* Trinitatis, omniumq, Divinarum perfectionum. Tum in memoriam Passionis, & cruenti *Sacrificij Salvatoris* nostri JESU Christi, juxta illud. *Hæc quotiescunq; feceritis inmei memoriam facietis.* *Nota 2.* In Sacrificio Missæ tres partes esse principales, nempe Oblationem. Consecrationem & Communionem. Idcirco saltem ad has partes attentionem seriam debet habere audiens Missam, ut vere possit dici ejus Auditor, licet subinde in alijs partibus alias preces recitet, vel pios affectus eliciat pro mensura cælestis gratiæ. Quâ doctrinâ serio menti impressa, studiosus Asceseos, saltem

hunc brevissimum modum audiendi Missam in usu potest habere.

Ad initium Missæ.

EXcitet in se vivam fidem, & ardens desiderium, quam dignissime adorandi. glorificandi Deum, illiq; placendi ac illum sibi totiq; generi humano placandi pro peccatis. Et sic dum dicitur *Gloria in excelsis Deo*, elevet mentem, ac desideret omnem illam gloriam Deo quâ dignus est, gratuletur omnem honorem quem habet ab omni Ecclesia militante & triumphante, à Bs. V. Maria, à *SS*. Humanitate Christi JESU, & à se ipso. Dum dicitur *Credo* Jungat fidem suam cum tota Ecclesia, & credat, approbet omnia quæ in hoc Symbolo continentur. Condemnet omnes hæreses, errores his veritatibus contrarias.

Ad Offertorium.

OFfero Tibi Domine Deus hoc Sacrosanctum Sacrificium in unione illius, quod Tibi dilectus Filius tuus in cæna & cruce obtulit: in unione omnium Sacrificiorum veteris ac novi Testamenti. Offero in recognitionem supremi Dominij tui & subjectionis nostræ quam habemus ad te, in adorationem Unitatis ac Trinitatis tuæ, ac omnium perfectionum tuarum: ad lætificandam Ecclesiam totam triumphantem, ad juvandam totam Ecclesiam militantem, in subsidium animabus purgatorij, in recompensationem omnis injuriæ & dishonoris, à quacunq; Creatura tibi illati, in protestationem

fidei

fidei nostræ & amoris Tibi summo bono debiti, omnibusq; intentionibus Tibi placitis ac Tuâ digni Majestate. Tum dicatur cum celebrante *Sanctus, Sanctus &c.* affectu Seraphinorum Cælestium, & huic Trisagio immorandum.

Ad Consecrationem.

S. Michael Archangele. SS. Seraphini inflammate me. SS. Cherubini illuminate me. Venite adoremus & procidamus ante Deum nostrum. Credo Domine, & procidens adoro Te. Credo quia Tu es Christus Filius Dei vivi. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Adoro te devote latens Deitas &c. *ex Rythmo D. Thomæ.* vel ex illo *S. Ignatij.* O Anima Christi JESU sanctifica me &c. in his vel alijs affectibus immorandum usq; ad verba illa Canonis. *Per ipsum, & cum ipso & in ipso, est tibi Deo Patri Omnipotenti in unitate Sp. S. omnis honor & gloria* quæ sic extendes, O utinam omnis ab omnibus creaturis: omnis quem tua Dignitas & liberalissima Bonitas meretur! omnis qui omnium mentibus concipi, cordibus exeri, affectibus potest exerceri? omnis qui tuâ sapientiâ comprehendi, immensa Essentiæ tuæ magnitudine potest adæquari.

Tum *Agnus Dei* ter dicatur, & tertio addatur. Dona nobis triplicem pacem, pacem quam parit bona conscientia, quam parit vita quieta, quam adfert vita exemplaris.

Ad Communionem

FIat Communio Spiritualis, juxta modum quem habes, supra in appendice 2da. Demum immorari poteris alicui pio affectui, vg. illi quem Christus dictavit *S.* Gertrudi:

Laudetur *SS.* Sacramentum tot laudibus, quot *SS.* Trinitas suâ Potentiâ depromere, suâ Sapientiâ concipere, suâ Bonitate optare potest, omni loco omni tempore, in æternum & ultra.

Et dum Sacerdos benedicit populum dicito: Benedic ô *SS.* Trinitas toti Ecclesiæ, toti huic Regno, toti Regioni huic, toti Religioni nostræ, omnibus Confratribus, Benefactoribus & amicis meis. Benedic ô Domine JESU vulneratis manibus tuis, benedic corpori, animæ, Sangvini, omnibusq; sensibus meis, & præsta ut nullo te offendam: benedic vitæ æternitatiq; meæ. Amen. Sic age in auditione Missæ, ad minimum unius quotidie, & crede non exiguo tibi fructu cessurum hoc vel simile exercitium.

Plura & eximia quidem Exercitia auditionis Missæ invenies in Viatore Christiano, Jacobo Horstio, & alijs innumeris libris Asceticis, sed Tyroni Religioso, & præmissum sufficiet.

CAPUT

CAPUT III.

MEDITATIO

De

Beneficijs Divinis.

CONSIDERATIO I. QUis eſt qui confert beneficia? & quis eſt qui ea recipit? ℟. 1. Deus eſt qui omnibus Creaturis effundit beneficia. *Secundum naturam ſuam* optimus & liberaliſſimus, qui dat omnibus affluenter nec improperat. *Secundum Statum ſuum* feliciſſimus & ditiſſimus, in cujus domo gloria & divitiæ, cujus theſaurorum non eſt finis, imo velut ignis quo plures accendit faces, tanto magis creſcit & extenditur, ſic Dominus Deus, quanto pluribus & plura elargitur beneficia, tanto minus deficit. *Secundum affectum* eſt miſericordiſſimus & pijſſimus: Nam 1. benefacit merentibus & petentibus 2. benefacit nec merentibus nec petentibus, & ſicut Sol non exoratus exoritur. 3. benefacit etiam ingratis, abutentibus & contemnentibus ℟. 2. Qui recipit beneficia Dei, primus eſt inter omnes creaturas Homo. Hunc enim Deus creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quod non eſt conceſſum brutis, quod non eſt dictum de Angelis. Hujus commodo, utilitati, ſolatio, conſervationi in anima & Corpore, univerſa alia condidit, ſive quæ ſunt in terris, ſive quæ ſunt in Cælis. Hujus repa-

rationi, saluti ac beatitudini, ab æterno providit & decrevit, Filium sibi coæqualem in terras mittere & humanâ carne vestiri. Et quis est iste homo? *Secundum naturam* indigentissimus, pauperrimus, sibi insufficientissimus, quasi ab humo denominatus; sicut enim terra sine aqua nihil germinat, sic homo absq; rore Divinæ gratiæ nihil boni parere valet & habere. *Secundum Statum* est infelicissimus omni mobilitati ac miseriæ subjectus. *Secundum affectum* est durissimus & ingratissimus, qui suo Benefactori supremo reddit sæpe mala pro bonis, & odium pro dilectione ejus.

Reflecte te. Num tibi semper in mente versatur bonitas & liberalitas Dei, tam erga te profusa, tam continua, tam æternans? qui tamen ab æterno menti Divinæ obversaris, & memoriam Dei tui occupas' num agnoscis pro merito tuam innatam inopiam & miseriam, inductam barbariem & ingratitudinem erga Deum? Erumpe in affectus admirationis tantæ erga omnes, quantæ erga te bonitatis & largitatis Divinæ? Elice actus adorationis, laudis, confusionis tui, gratitudinis intimæ, pro beneficijs tibi notis & ignotis. Propone sæpe in mente, in ore, habere illud, quod nunquam ex corde dimisit Virgo Deipara: *Deo gratias.* Item ardenti affectu decantare illud Canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* idq; usurpare omnium Creaturarum nomine voto, ac intensione.

CONSIDERATIO II. Quæ, & quot sunt beneficia Dei? quæ confert homini.

hominibus? ℟. *S*unt innumerabilia, quorum tamen digniora & notiora possunt reduci ad tria genera.

Prima itaq; sunt Naturalia, quæ attribuntur Deo Patri nempe creatio nostri ex nihilo, ad imaginem & similitudinem Dei Creatoris nostri. In quo beneficio attende quod sis conditus. 1. Habens animam immortalem, quâ vivis, intelligis, vis, recordaris, & non materialia tantum percipis, sed etiam spiritualia & Divina. 2. *S*ensus tam internos quam externos, qui ad varias operationes tibi deserviunt. 3. Innatam inclinationem & desiderium beatitudinis æternæ. 4. Corporis sanitatem, vigorem, robur, agilitatem, formam, *S*ymmetriam bonam &c. 5. Animæ docibilitatem, ingenij claritatem, memoriæ felicitatem, judicij rectitudinem, usum prudentiæ, voluntatis ad bonum propensionem &c. 6. Natalium honestatem, quod sis prognatus ex honestis, liberis, Christianis, Catholicis Parentibus. 7. *S*cientias, artes, famam bonam, gratiam, favorem, amicitiam hominum, & quæ inde sequuntur.

Secunda beneficia sunt *S*upernaturalia, quæ attribuntur Deo Filio, nempe Reparatio nostri per mortem Filij Dei Unigeniti, *S*acramenta pro nostra Spirituali sanitate instituta, Missio *S*piritus *S*. pro nostra *S*anctificatione. Tota denique æconomia, vitæ, doctrinæ, Passionis & mortis Christi, ad nostram salutem ordinata.

Tertia sunt Gratuita quæ attribuuntur *S*piritui *S*. ex mero amore & gratiosa liberalitate procedentia. Nempe 1. Incarnatio Filij Dei. 2. Justi-

ficatio noſtri tam frequens à peccatis ejusq; continuum augmentum per gratiam ſanctificantem. 3. Auxilia Dei opportuna ſeu gratiæ prævenientes, concomitantes & ſubſequentes ad actus ſalutares. 4. Vocatio noſtri tum ad veram fidem, tum ad ſtatum Religionis bene inſtitutæ. 5. Perſeverantia in fide & in ſtatu religioſo. 6. Prædeſtinatio noſtri ab æterno, ad cæleſtem gloriam aſſequendam. 7. Protectio Divina in quibusq; tentationibus & adverſitatibus. 8. Deputatio *S.* Angeli Cuſtodis ad noſtram cuſtodiam. 9. Opitulatio Beatiſſimæ Virg: ac *SS.* Patronorum. 10. Impunitio poſt tot commiſſos reatus 11. Indeſertio in peccatis. 12. impermiſſio periculorum peccandi, & finaliter cadendi à Salute. Quæ tria poſtrema, ab aſcetis vocantur beneficia Innocentiæ ſeu non nocentiæ.

Reflecte te. Super excellentiam & multiplicitatem Divinorum beneficiorum. Perpende quot vinculis aureis, id eſt donis inæſtimabilibus, te ad ſe vult attrahere? ſibiq; æternum alligare. Cæterum, an ea non flocci pendis? an amorem amore rependis? Erumpe in affectus æſtimationis Divinæ erga homines omnes & erga te beneficentiæ. Elice actus gratitudinis, redamationis pro his & alijs tibi notis beneficijs Divinis. Confuſionis & doloris pro donis per tuam ſocordiam impeditis. Petitionis beneficiorum particularium. Propone aliquo ſpeciali obſequio gratificari omnium bonorum Largitori Deo.

CON-

CONSIDERATIO III. PRo quo Deus confert homini tanta sua beneficia?. ℟. 1. Ut ostendat divitias gloriæ ac magnificentiæ suæ. 2. Ut demonstret effusionem bonitatis & misericordiæ suæ, ideoq; condidit hominem, ut haberet cui egenti dona sua tribueret, & cui misero dignativâ pietate subveniret. 3. Ut hominem tot beneficijs suis oneratum & obstrictum ad perennem sui memoriam, amorem & gratitudinem excitaret, & tanto beatiorem efficeret, quanto gratiorem agnosceret. Utiq; Deus bonorum nostrorum non eget, cum sit sibi sufficientissimus, absq; nostro obsequio subsistit, cum sit ex se felicissimus.

Reflecte te, quanta homines ab hominibus pro minimis sane beneficijs, vg: pro vili offa, pro terræ particula, pro modica pecunia exigunt? sæpe duros labores, vilissima obsequia, gravissimas subjectiones. O quam multa & magna, mundus & caro à suis clientibus extorquet, pro modica voluptatula, pro vani honoris umbra? Et quid Dominus Deus tuus petit à te pro innumeris, continuis, solidisq; beneficijs, nisi ut diligas eum ex toto corde? An non fingis laborem in hoc tam svavi præcepto? An amas vere, intime, Supremum Benefactorem tuum? An æstimas saltem illius beneficia? an non abuteris? &c. Erumpe in affectus admirationis super liberalitatem Divinam, quæ vel tot hominum, & tuâ potissimum ingratitudine non sistitur. Elice actus cordialis amoris, humillimæ

gratitudinis, doloris, pro tua ingratitudine, ignavia &c. Propone particulari aliquo dono Dei quod in te sentis, melius abhinc uti.

CONSIDERATIO IV. A quo Deus aufert beneficia sua? ℞. A superbo, ingrato, & infideli servo. *Superbus porro est*, qui Benefactorem suum vilipendit, quod fit. 1. Mandata ejus contemnendo. 2. Bona quæ recipit suæ industriæ, labori, merito; non Deo adscribendo. 3. Ex bonis sibi collatis tumescendo, ac proximos aspernando.

Ingratus est. 1. Qui beneficia Dei, nec considerat, nec examinat. 2. Qui examinata parvi facit. 3. Qui tanto benefactori debitas grates non reddit.

Infidelis est qui per suam socordiam beneficia Dei impedit. 2. Qui dona Dei in terra defodit, nec eis utitur ad DEI gloriam, ad utilitatem proximi, ad suum meritum. 3. Qui sibi non DEO ex ijs arrogat gloriam, & ipsis beneficijs Deum offendit.

Reflecte te, num non sis ex talium servorum numero? Time, ne tuâ superbiâ, ingratitudine ac infidelitate, obstruas tibi fontem Divinæ beneficentiæ. Erumpe in affectus veræ confessionis, & confusionis tui. Elice actus doloris, gratitudinis. Propone fideliorem usum talentorum à Deo tibî collatorum.

CONSIDERATIO V. QUomodo nos præparare debemus ad majora beneficia à Deo recipienda? ℞. 1. Si minora beneficia jam accepta grata habemus; gratitudo enim provo-

provocat benefactorem, ad conferenda grato nova beneficia. 2. Per humilitatem profundam, agnoscendo indigentiam pariter ac indignitatem nostram; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 3. Per exhibitionem misericordiæ proximis nostris, sive eorum miserias relevando, sive eis injurias amore Dei condonando. 4. Per voluntariam propter DEUM abnegationem bonorum temporalium, hæc enim relinquentibus centuplum in hoc sæculo, & vitam æternam Christus assecuravit. *Matth:* 9. 5. Per filialem Dei timorem, libenter Divinas castigationes sufferendo. 6. Per orationem humilem, ferventem ac frequentem; qui enim petit accipit, & qui quærit invenit; & pulsanti aperietur *Luc:* 11. 7. Per zelum Divinæ gloriæ, ac salutis animarum Christi *Sangvine* redemptarum; talibus namq; Deus etiam mirabilia sua dona communicat.

Reflecte te super hæc singula media, ad promerendam Dei beneficentiam. Dispice, utrum in te reluceant? si secus? enitere ut sint in te. Erumpe in affectus confusionis de tua præsumptione quod velis Deum erga te beneficum, & nolis quidquam agere pro concilianda ejus liberalitate. Elice actus humilitatis, timoris Dei, amoris proximi, contemptûs rerum temporalium, renova tuam Professionem &c. Propone fideliùs uti præmissis medijs.

CONSIDERATIO VI. QUare Deus bona temporalia dat & aufert tam bonis quam malis, & passim plura horum tribuit malis

malis quam bonis? ℟. 1. Ne putentur mala, dantur & bonis; ne putentur magna & summa, dantur & malis. ℟. 2. Ideo potius & copiosius dantur in justis & malis. *Tum* ex Misericordia DEI, ut periturls fruantur, qui bona æterna non curant. *Tum* ex *Sapientia* Dei, dum malos his temporalibus bonis vult ad se attrahere & salvare. *Tum* ex Justitia Dei, ut aliqua eorum bona opera temporaliter saltem remuneret, cum æternum præmium non mereantur. Ideo rursum non dat vel aufert hæc bona justis & bonis. *Tum* quia sunt occasio peccatorum, uti honores ad superbiam, deliciæ ad libidinem, divitiæ ad luxum inflammant. *Tum* quia sunt bona vilissima, quæ justi arbitrantur ut stercora; & sicut Reges terreni amicis suis non largiuntur vilia, ita nec Rex cælestis. *Tum* quia sunt onerosa; nam juxta *S. Bern:* Possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. *Tum* quia bonorum temporalium copia plures curas & labores post se trahit quam inopia, amicos vero suos DEUS vult esse liberos & quietos. *Tum* quia, etiam in bonis reperiuntur nævi & maculæ pro quibus cum eos DEUS non puniat æternaliter, saltem temporaliter eos castigat. *Tum* quia per subtractionem temporalium DEUS tentat suos amicos utrum diligant eum an non?

Reflecte te super Divina judicia, quæ sunt abyssus multa, & perpende, num occasione alicujus infortunij, inopiæ, infirmitatis, non murmuraveris contra DEUM? non posuisti os tuum in Cælum?

Erumpe

Erumpe in affectus admirationis Divinæ Misericordiæ, Justitiæ ac Sapientiæ. Elice actus laudis, resignationis in Divinam voluntatem, gaudij ex tua paupertate &c. Propone te semper habere pro mancipio Divinæ voluntatis, frequentare illos actus in adversis & prosperis: sit nomen Domini benedictum. Fiat voluntas tua sicut in Cælo & in terrra.

Conclusio harum Considerationum per Orationem Dominicam.

PAter noster qui es in Cælis. O Pater qui nos, absq; merito creasti, qui nos voluntariè verbo veritatis genuisti, qui nos per gratiam in filios adoptasti: qui nos hæredes tui & cohæredes Christi fore desideras. *Sanctificetur nomen tuum* pro innumeris beneficijs tuis, quibus nos cumulare non cessas, quibus nos in anima & corpore conservas. *Adveniat Regnum tuum* supremum illud beneficium, in quo tu Domine electis tuis es omne bonum, omnis gloria, omne gaudium, & omnis copia. *Fiat voluntas tua &c.* ut Te Patrem nostrum toto corde amemus, tuam voluntatem per omnia impleamus, & filiali timore vereamur. *Panem nostrum quotidianum &c.* Panem temporalem in sustentationem corporis, panem gratiæ in alimentum animæ, Panem Angelicum in confirmationem cordis nostri. *Et dimitte nobis debita nostra* per Paternam tuam charitatem, quæ novit operire mul-

titudinem peccatorum, & cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ad imitationem Paternæ tuæ pietatis, ad guſtum cordis tui clementiſſimi. *Et ne nos inducas in tentationem*, ſed eripe ut Pater cadentes filios ab omni periculo peccandi ut ſecuri & quieti in tuo ſervitio procedamus. *Sed libera nos à malo.* Oblivionis tuorum beneficiorum, abusûs donorum nobis miſericorditer collatorum. Amen.

CAPUT IV.
MEDITATIO
De Peccatis.

CONSIDERATIO I. QUid eſt peccatum, potiſſimum mortale? ℟. Eſt ſummum malum, eſt ſolum malum, eſt merum & mirum malum. Nam 1. Peccatum eſt oppoſitum ſummo bono, Deo ſcilicet, ejusq; Dignitati, Perfectioni, Sanctitati. 2. Quia cum Deus nihil horum odit quæ fecit, ſolum peccatum odit infinite. 3. Quia peccatum nullam rationem boni habet ſibi admixtam, ut aliæ Creaturæ, etiamſi viles & execrabiles cenſeantur, ut vermes, aſpides, dæmones. Eſt namq; peccatum [mortale potiſſimum] offenſa & contemptus Dei ſummi boni, rebellio Creaturæ contra ſupremum Regem, cum hoſte ipſius diabolo conjuratio, eſt voluntas tollendi ac perdendi Deum ſi tolli poſſet, eumq; perimendi qui-

di quidam conatus, nam ut *S. Bern:* arguit, Homo peccando vult interimere aut Sapientiam Dei volendo ne suum peccatum videat, aut Justitiam volendo ne puniat, adeoq; peccatum est quoddam in voto Deicidium Quô malô quid est mirabilius? quid pejus cogitari queat? *Est insuper peccatum.* Injurium Christo JESU; ejus inquam sanctissimis legibus & consilijs, Ejus doctrinæ, exemplis, meritis, donis, Sacramentis, amori, zelo, siti salutis nostræ: Ejus innocentissimæ, vitæ, amarissimæ Passioni & morti, pretioso Sangvini; horum enim omnium est violatio, contemptus, abnegatio. Est demum injurium omni Creaturæ. Unde enim promanant quotidianæ mortes, bella, morbi, fames, fulmina, terræ motus, elementorum inæqualitas, & omnia quæq; hominibus terribilia? Ex peccato. Est tandem injurium ipsi suo Authori peccanti homini, quem facit servum pænæ æternæ, & mancipium diaboli.

Reflecte te super malitiam, fæditatem ac gravitatem peccati mortalis, & dispice num unquam ut par est malitiam ejus perpendisti? Num tam abominabile monstrum in anima tua toties Divinitate consecratâ tolerare debuisti? Attende num hucusq; saltem aliquod lethale peccatum non regnet in anima tua? quod te Deo exosum, perjurum & sacrilegum reddit, ac in statu damnationis retinet?

Erumpe in affectus admirationis tuæ vesaniæ. Elice actus doloris, detestationis, ejurationis peccatorum, placationis Divinæ misericordiæ.

Propone cum S. Teresia: *Non amplius peccatum?*

CONSIDERATIO II. QUæ peccata maxime odit punitq; Deus? ℞. 1. Peccata contra Spiritum S. quæ sunt. Præsumptio de misericordia Dei. Desperatio. Agnitæ veritatis impugnatio. Invidentia fraternæ charitatis. Obstinatio in peccatis. Finalis impœnitentia. Ipsa enim veritas Christus asseverat *Matt: 12.* Quicunq; peccaverit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neq; in hoc neq; in futuro sæculo, *id est ordinariè* [nam solum per extraordinariam Dei gratiam possunt remitti] cum directe amori & bonitati Dei adversentur. 2. Peccata in Cælum clamantia, quæ sunt Homicidium voluntarium. Sodomia. Viduarum & pupillorum oppressio. Mercedis deservitæ defraudatio. Talibus enim peccatis in S. Scriptura gravissimas pœnas Deus comminatur, & passim eas infligit etiam in hoc sæculo. 3. Peccata contra statum sive Ecclesiæ, sive Reipublicæ, sive alicujus Religionis, ut sunt invasiones jurium, convulsiones bonarum legum, disturbia intestina, ruinæ in temporalibus vel spiritualibus bonis, voluntarie causatæ. Talia enim peccata, sicut non uni, sed plurimis, & pro longo tempore vel pro semper nocent, ita non unam, non brevem, sed plurimas & longissimas pœnas à Deo merentur. 4. Peccata recidivationis; nam peccatum sæpius reiteratum, non unius malitiæ speciem habet, sed trahit post se tot mendacia, tot perjuria coram

Deo,

Deo, tot contemptus Divinorum luminum, tot meritorum [in ſtatu gratiæ & ceſſationis ab illo peccato comparatorum] perditionem & mortem. Unde talibus ac ſi canibus ad ſuum vomitum revertentibus, comminatur Deus Apoc. 22. *Foris canes.* 5. Peccata conſvetudinis; nam peccatum habituatum eſt continua contra Deum rebellio, voluntaria gratiæ Divinæ expulſio, libera dæmonis ſervitus, guſtuoſa fæditatis delibatio, & diabolica inflexibilitas. Unde in naturam pene convertitur, & paſſim non niſi cum morte peſſima finitur. 6. Peccata Perſonarum Deo Sacrarum [ut ſunt Sacerdotes & Religioſi] Quot enim illi habent doctrinæ cæleſtis adjumenta? quot gratiarum ſtillicidia? quot Sacramentorum uſus? quot bona conſodalium exempla? quot interna lumina in meditationibus? quot externa in ſanctis lectionibus? Quot virtutum motiva? quot votorum vincula? Omnia hæc & innumera alia, tenent, catenant, exorant illas Perſonas, ne Deum offendant. Quid ergo, ſi penes hæc omnia Deum non verentur offendere, vota ſua frangere, ſcandalizare fideles, honorem ſtatûs proſtituere, & nomen Dei per ſe blasphemari. O quantam à Deo vindictam provocant? Reflecte te ſuper hæc ſingula genera peccatorum, num in anima quoq; tua horum aliqua non reperiantur? Perpende quanto conatu ea debeas in te extirpare, quantâ pænitentiâ expiare?

Erumpe in affectus magni doloris, timoris, Elice actus, ſpei, deteſtationis, petitionis &c.

Pro-

Propone armari & expugnare vitia inveterata.

CONSIDERATIO III. A quo peccatum recidivationis homini, præcipuè Religioso venit? ℞. 1mo. A Tentatione maxime quæsita, si eam in primo motu seu aggressu non curat fortiter reijcere, & ex animo exturbare, imo non fugiendo proximas occasiones, sponte eam accersere censetur. 2do. Ab incuria minimorum, nempe frequentatione imperfectionum & peccatorum venialium qui enim spernit modica paulatim decidet in majora. 3tio. A negligentia profectûs spiritualis, maxime orationis mentalis, & doctrinarum salutarium. 4to. A nimia securitate, & confidentia in viribus suis, ex superatis aliquibus tentationibus & periculis labendi concepta, dum enim mens secura redditur, in torpore laxatur. 6to. A radice peccatorum, idest ab affectu erga aliqua peccata, nondum perfecte eradicato & mortificato. 6to. A voluntaria permanentia in aliquo non adeo gravi peccato, dum mox per pænitentiam non tollitur; nam & modica scintilla nî extingvatur, parit incendium. 7mo. A vitio loquacitatis, nam hoc aperit vastissimum ostium varijs gravibus peccatis. 8vo. Ab intemperantia in cibo & potu maxime; ebrietas enim est Mater omnium vitiorum. 9no. Ab inobedientia in rebus parvis; hæc enim viam sternit frequentibus mendacijs, contemptui Legum & Superiorum &c.

Reflecte te, num hi fontes vel saltem aliqui non reperiuntur in te? & infer quantum satagere debeas ut obturentur.

Erumpe in affectus diffidentiæ sui. Elice actus confusionis tui coram Deo, doloris de peccatis Propone prædictas causas recidivationis tuæ cum. Divino auxilio tollere, præcipue particularius tibi notas.

CONSIDERATIO IV. PRo quolibet peccato maxime recidivo, quotupliciter homo in hac vita punitur? ℞. Tripliciter. 1mo. Pænâ amissionis seu damni. Nam privatur Gratiâ sanctificante quæ est decor imo vita animæ. Privatur omnibus meritis in statu gratiæ comparatis. Privatur mercede æterna pro bonis operibus in peccato exercitis. Privatur imagine & similitudine Dei, & transformatur in bestiam operantem juxta ductum sensualitatis perversæ. Privatur coronâ vitæ æternæ sibi appromissa & jure ad illam. 2do. Punitur pænâ afflictionis, videlicet. Ex gravissimo remorsu conscientiæ qui est quotidianus carnifex animi. Ex interna confusione quod factus sit mancipium diaboli. Ex passionibus effrænatis quæ intenduntur in peccatore. Ex timore pænæ tam temporalis quam æternæ, quæ sequitur peccatum mortale; ut namq; certus est homo se commisisse peccatum mortale, ita nunquam fere certus est sibi esse dimissum. 3tio. Punitur pæna infirmitatis seu lapsus; unum enim peccatum est pondus grave ceu massa illa plumbea *Zach*: 5. quæ animum peccatoris deprimit violenter, ut facillime datâ quâcunq; occasione in aliud peccatum prolabatur; sicut David dum commisit adul-

ſit adulterium; lapſus eſt brevi in homicidium.

Reflecte te ſuper haſce pœnas & plagas peccatorum, & non conniventer diſpice, num in anima tua non regnet aliquod peccatum inveteratum, quod tibi tot forſan anguſtiarum, timorum, diffidentiarum ad Deum, & relapſuum cauſa eſt, & infer quam omni ſtudio & conatu illud extirpare debeas?

Reflecte te quoq; an ſaltem aliquod grave veniale, non ſit in te radicatum, & majoris illud fac, ut fors hactenus. Nam & veniale trahit poſt ſe mala ſane non exigua: *1mo.* Enim maculat animam, adeo ut niſi eluatur aut hic aquâ lacrymarum, aut duriſſimo igne purgatorij, non permittat eam frui conſpectu conſortioq; Dei. *2do.* Veniale præſertim habituatum facilitat hominem ad quæque etiam graviſſima; nam ſenſim in contemptum Divinæ humanæq; legis pertrahit delinquentem, & paſſim in corde dicit: Quid eſt hoc? *3tio.* Ita ſenſim hominis mentem obnubilat, ut cæcutiat ad cæleſtia, in amore Dei frigeſcat, in oratione torpeſcat, opera ex ſe bona langvide ſteriliterq; exerceat, & tandem licet aliqua ex ſe mortifera committat vg: contra puritatem, charitatem, perſvadeat ſibi eſſe venialia.

Erumpe in affectus timoris, odij peccatorum. Elice actus, doloris, deprecationis. Propone non ſolum à mortalibus recedere, ſed & venialia deliberata cavere ſtudioſiùs.

CON-

CONSIDERATIO V. QUomodo resurgendum est ex peccato? ℟. Ex peccato quantum ad culpam, resurgere possimus per pænitentiam, quæ est secunda post naufragium tabula. Quæ ut sit vera Deoq; accepta, debet peccator hæc facere. 1. Peccata sua agnoscere. 2. Erubescere de peccatis. 3. Confiteri peccatâ sincere. 4. Dolere de illis cordialiter. 5. Satisfacere pro peccatis, per opera pænalia. 6. Occasiones proximas peccatorum vitare. 7. Humiliter de se sentire. 8. De peccato propitiato non esse sine metu. 9. Vitam & mores in melius emendare; nam ex S. Bern: *Ubi emendatio nulla, pænitentia necessario est vana.*

Ex peccato vero quantum ad pænam resurgere possumus. 1. Per opera misericordiæ & charitatis. 2. Per opera heroica, nempe per victorias nostri in adversis. 3 Per frequentem ac devotam sumptionem SS. Sacramenti. 4. Per patientiam in tribulationibus. 5. Per dimissionem injuriarum proximis nostris. 6. Per indulgentias Ecclesiæ, ad earum lucrationem diligenter se disponendo.

Reflecte te an hæc media ad resurgendum de barathro peccatorum, ad sananda vulnera animæ tuæ, ad placandam Dei justitiam in usu habueris? quomodo ea exercueris? Num pænitentia tua sic aliquando saltem fuerit qualificata?

Erumpe in affectus confusionis de tua ignavia, duritie, negligentia salutis tuæ. Elice actus, doloris, resolutionis ad agendos digniores fructus pæ-

nitentiæ, Petitionis auxilij Divini, ut te infirmum ſanare, mortuum peccato, ſuſcitare dignetur.

Propone diligentius luſtrare conſcientiam tuam, confiteri ſincerius. Opera heroica exercere &c.

CONSIDERATIO VI. QUare Peccatores maxime recidivi & conſvetudinarij, difficillime aut raro convertuntur ad Deum & juſtificantur? ℟. Ob has potiſſimum cauſas. *1ma.* Quia per frequentationem peccatorum, oritur in illis habitus peccandi, qui in naturam pene convertitur, ita ut quod à principio fuerat fragilitatis, ſenſim fiat neceſſitatis. *2da.* Dilatio pænitentiæ usq; ad ſenectutem vel mortem; cum tamen juxta *S. Aug:* Pænitentia ſera raro ſit vera: nec ſenectus vel mors ipſa mutat vitam in melius, ſed mutilat ac eripit. *3tia.* Deſperatio de miſericordia Dei poſt primum vel alterum quandoq; peccatum, quam dæmon potiſſimum imprimit animabus timidis [& quæ maxime cavenda eſt, ac in primis initijs peccatorum expellenda] ut animum ad pænitendum deſpondeant. *4ta.* Excæcatio intellectûs quæ eſt pæna peccatoris pro rebellione cæleſti lumini, toties cor ejus tangenti, ex qua conſequi ſolet depravatio voluntatis, & memoriæ deturpatio, ac tandem mira animi perverſitas, ut videat meliora & non arripiat, videat peccata & approbet, ſæpeque glorietur de illis, & exultet in rebus peſſimis. *5ta.* Impletio menſuræ certæ peccatorum; nam ſicut Deus unicuique homini præ-definivit ab æterno menſuram meritorum ad ſalu-

tem,

tem, ita & menſuram peccatorum ad damnationem, quam ſi compleat peccator, licet ſubinde vivat in hoc ſæculo, jam mortuus eſt Deo, & nullum actum ſalutarem elicere poteſt. *6ta.* Derelictio Divina in peccatis, quæ eſt pæna omnium graviſſima. Et fit: Per excluſionem timoris Dei filialis ex corde. Per ceſſationem remorſus conſcientiæ, ut legitur de perditiſſimo M. Lutero, qui poſt diutinas conſcientiæ torturas, 14. annis ante peſſimam mortem jam deinceps nullum ſenſit remorſum. Per ſubtractionem auxiliorum Divinorum efficacium ad veram converſionem & pænitentiam. Fitq; juſto Dei judicio ut ſic derelictus & projectus à Deo peccator, dum vult converti non poteſt, qui cum poterat noluit. De talibus dicit DEUS. Ps. 80. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum ibunt in adinventionibus ſuis, & usq; in æternum non videbunt lumen.*

Reflecte te ſuper hæc ſingula, quæ etiam perditiſſimos homines deberent percellere, & diſpice num ſaltem initialiter horum aliqua in te non ſentias. Nec præſume, nec deſpera, conatum tamen adhibe, ne accumules peccata, ne apponas iniquitatem ſuper iniquitatem, ſed minuere ſtudeas. Erumpe in affectus timoris pariter ac ſpei. Elice actus doloris intimi, humiliationis, obſecrationis Divinæ miſericordiæ &c. Propone ſerio minuere peccata in quæ laberis frequentius, ne conſvetudine invaleſcant. Propone ſæpius has cauſas inconverſionis revocare tibi in memoriam, & dic

ſæpe in corde: Jam amplius noli peccare:

Concluſio harum Conſiderationum per Orationem Dominicam.

PAter Noſter. Pater peccavi in Cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, quinimo filius diaboli cujus deſideria feci: & ſi tamen ego filius impius, tu pius Pater. Oſtende mihi te Patrem miſericordiæ, licet ſim filius miſeriæ. *Qui es in cælis.* Et ego in fætoribus peccatorum, in inferno inferiori malarum aſſvetudinum: erue quæſo animam meam de manu inferi. *Sanctificetur nomen tuum* quod ego una cum tot gratijs, cum pretioſo *S*angvine Chriſti, profanavi, conculcavi. *Adveniat regnum tuum* per infinitam bonitatem tuam, quod ego millies amiſi per execrabilem malitiam meam. *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo & in terra.* In cælo, ubi in libro viventium non ſum dignus inſcribi: in terra in cujus centro cum damnatis merui collocari, quia *S*anctiſſimæ voluntati tuæ ſemper reſtiti, & meam cæcam ac ſtultam illi præpoſui. *Panem noſtrum da nobis hodie.* Panem anguſtiæ, panem doloris, panem lacrimarum. Flebo Domine & non ſatiabor fletu, quia & tu Domine toto corpore fleviſti pro me. *Et dimitte nobis debita noſtra* ut ſciant cæli ac inferi, quantos etiam peccatores ſalvet miſericordia tua. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* Sed quos ego habeo? nullos Domine, quia

omnibus hominibus, imo omnibus creaturis sum injurius. *S*i quos tamen Domine habeo, ijs plene dimitto, omnemq; indignationem, vindictam ex corde erado, & in aperto latere *S*alvatoris mei æternum repono. *Et ne nos inducas in tentationem.* & si illi succumbere debeo, malo potius mi Domine mori! malo mori! *Sed libera nos à malo* iræ & indignationis tuæ, à malo finalis impænitentiæ, à malo non amandi te, à malo damnationis æternæ. Amen. Amem, amem, amem Te Domine, & amer à Te.

CAPUT V.

MEDITATIO De *Miserijs vitæ humanæ*

CONSIDERATIO I. QUis est in hoc mundo miserrimus? ℟. Omnium creaturarum miserrimus est homo. Nempe *Imo.* In vitæ initio. Concipitur enim ut brutum de fædo stercore, animatur in servitute diaboli, ob peccatum originale quod incurrit. Nascitur in dolore ac sordibus: & cum animalia cætera nascantur cum vestitu & ornatu, cum viribus & motu, moxque pastum sibi quærunt, comedunt, bibunt, natant, incedunt, homo solus nudus oritur & invalidus, plorans & gemens, sui ignarus,

totq; fomentis indigens & curis. *2do.* In vitæ progressu, est miserrimus *In corpore* innumeris subjecto morbis, languoribus, & doloribus. *In sensibus* in quorum usu, vigore, & acutie superatur à multis bestijs, juxta illud.

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

In animo nam omnia discere debet cum labore tædio fatigio: quod si artes non bene calleat, experientiâ rerum non polleat, inter stultos & contemptibiles reputatur. *In Casibus varijs* nam innumeris periculis terrâ mariq; ab elementis, ab hostibus, est obnoxius. *In anima* quam si bonam sortitur à Domino, expositus est tentationibus, persecutionibus &c. si malam? expositus est periculo damnationis æternæ. *3tio In vitæ termino.* Tum quod sæpe longis & gravissimis morbis, eorumq; incommodis ante mortem divexatur. Tum quod mortui cadaver nulli bono est, ut plurium animalium exuviæ, sed fætori tantum & horrori. Tum quod cæterorum animalium miseriæ cum morte desinunt, hominis autem maxime peccatoris novæ miseriæ à morte incipiunt, quid si æternent?

Reflecte te, an jure in animo possis extolli ac tumescere, cum sis pauper & cæcus, & nudus & miser & miserabilis. Perpende an te miserum ex animo credis & agnoscis? an non potius felicem beatum, sapientem, fortem, honorabilem?

Erum-

Erumpe in affectus confusionis tui, & humiliationis coram Deo, cui comparatus, nihil es.

Elice actus subjectionis Divinæ voluntati, & *Sapientiæ*. Propone humilius de te sentire.

CONSIDERATIO *II*. QUæ nam sunt miseriæ hominis in præsenti vita? ℞. *1mo.* Respectu totius hominis, est Brevitas vitæ. Quæ est enim vita nostra, nisi vapor ad modicum parens, & mox exterminabitur? Quam enim brevis illa est, si comparetur vitæ Cedrorum, palmarum, quercuum? Quam brevior, si comparetur vitæ corvorum, cervorum, elephantum, qui mille annos superare dicuntur? Quam brevissima deniq; si æternitati comparetur? profecto sicut dies hesterna quæ præterijt. *2do.* Respectu corporis, sunt hæ miseriæ: Labor, dolor, fames, sitis, frigus, æstus, mors & corruptio, & aliæ quæ ex his procedunt: uti sunt insomnia, tabes, langvores, nauseæ, malus usus membrorum, turbationes, angustiæ animi &c. *3tio.* Respectu animæ sunt hæ miseriæ *1. Ignorantia* quæ tot curas, labores, vigilias post se trahit in rebus vestigandis, in acquisitione scientiarum, artium, lingvarum. Et quanto gravior est ignorantia rerum Divinarum, discretio rerum salutarium? *2 Instabilitas seu infirmitas voluntatis* cuique explorata; quam enim breviter uni adhæret bono, in eodem persistit affectu? Quam volubilis in salutaribus intentis in pijs desiderijs? nunc amore calet, nunc alget odio, nunc Divinis afficitur, nunc va-

nis

nis immergitur, nunc ſpiritum, nunc ſenſum ſequitur, nunc cæleſtia libat, nunc terrena concupiſcit &c. 3. *Concupiſcentia* quæ homines à juventute, ſæpe usq; in ſenectam & ſenium, violenter urget ad ſenſualia commoda, ad brutas & ſpurcas voluptates, à puro vero & ſummo bono mentem avertit, & hominem pene amentem facit. 4. *Malitia* Per quam ſapit animo peccatum, adeoq; nec pænitentiâ heroicâ diluitur, nec ſatisfactione condignâ redimitur. Unde veniunt gloriationes de peccato, excuſationes in delicto, perſeverantia & obſtinatio in malo.

Reflecte te. Tam fluxa brevisq; eſt vita tua, cur illi toto corde afficeris? cur æternæ illi quæ non habet finem cor & ſtudium non apponis? cur illam tam ſegniter curas? Tot miſerijs animam corpusq; ſubjectum habes, cur adhuc in animo extolleris? cur toties tibi complaces? cur ſæpius vaniſſime gloriaris? Cur tibi inter tot amaritudines mundus ſapit?

Erumpe in affectus humiliationis coram Deo. Elice actus petitionis, ut Deus ignorantiæ tu tenebras depellat, inconſtantiam ſtabiliat, concupiſcentiam extingvat, malitiam tuam emolliat.

Propone excitare in te deſiderium vitæ æternæ à qua omnis exulat miſeria.

CONSIDERATIO III. A quo præſentes miſeriæ veniunt & augentur.

℞. *Imo.* Veniunt ab ipſo Deo clementiſſimo. *Tum* ut per earum ſufferentiam pleriq; electi à præ-

teritis

teritis peccatis expurgentur. *Tum*, ut à futuris præserventur. *Tum* ut per tolerantiam miseriarum, majorem gloriam in cælo consequantur. *Tum* ut proximi patientiâ eorum ædificentur. *Tum* ut Deus ex patientia justorum glorificetur. *Tum* ut per eas multi à peccando revocentur, & ad Deum convertantur. *Tum* ut multi pro peccatis suis enormibus, tam in præsenti, quam in futuro sæculo crucientur, uti factum est Antiocho & Herodi. *2do.* Veniunt ab ipso homine, scilicet: A mala voluntate, dum eam impleri ardenter desiderat, nec tamen obtinet quod optat. A cupiditate nimia terrenorum, quæ multorum laborum, curarum, turbationum solet esse Causa. Ab immoderato appetitu sensuum, qui multorum morborum, languorum passim est occasio.

Reflecte te. Quam optimos & tibi salutares fines habet Deus, dum te miserijs probat & affligit? Perpende an sæpius tua voluntas, cupido, immoderatio non auxerit tibi miserias?

Erumpe in affectus laudationis Divinæ Justitiæ, ac sapientiæ immittentis præsentes miserias.

Elice actus resignationis, humiliationis &c: Propone tuam voluntatem & appetitus mortificare & frænare.

CONSIDERATIO IV. PRo quo hisce miserijs à Deo punimur & castigamur? ℟. Punimur *1mo.* Originaliter pro peccato originali, contracto à primis nostris Parentibus, justitiâ Dei id exigente, & Sapientiâ ejus nos

erudiente, quantorum malorum causa toti generi humano sit vel unum peccatum. Et sic, quia in omni peccato est quadruplexaversio mentis à Deo, nempe 1. Aversio à Deo ut est vita immortalis, pro qua punimur morte & miserijs corporis. 2. Aversio à Deo ut est summa Potentia, pro qua punimur fragilitate, & infirmitate animi nostri. 3. Aversio à Deo ut est summa Sapientia, pro qua punimur ignorantiâ multiplici. 4. Aversio à Deo uti est summa Bonitas, pro qua punimur concupiscentiâ & malitiâ. *2do.* Occasionaliter punimur pro peccatis actualibus, quot enim sunt animi culpæ, tot homini debentur pænæ, quot corporis delectamenta, tot sequuntur tormenta; nam ex lege Dei, secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus. Passim autem Divina Justitia, in hoc sæculo justorum labes præsentibus miserijs castigare consvevit, ne puniat in futuro; sicut enim igne probatur aurum sic homines receptibiles in camino tribulationis. *Prov. 17.* Reflecte te. Omnes miseriæ quas pateris sunt amara peccati germina, cur ergo hæc omnis mali semina, & pateris, & multiplicas in anima tua? Quo magis peccas, quo plures accumulas iniquitates, eo magis tam animæ quam corpori tuo etiam in præsenti es injurius? Utinam innocens ad exemplum Christi JESU, Pretiosissimæ Matris suæ, & Sanctorum omnium præsentes miserias patiaris.

Erumpe in affectus admirationis malitiæ peccati. Elice actus doloris, detestationis tuorum peccato-

rum, desiderij patiendi pro Christo, & cum Christo, Propone miserias præsentes offerre Deo in satisfactionem peccatorum tuorum.

CONSIDERATIO V. QUomodo miserias hujus vitæ ferre debemus?

℟. *1mo. Gratanter* eò quod à manu Patris amantissimi proveniant, qui flagellat omnem filium quem diligit. *2do.* Hilariter, propter spem certam, quod momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, & quanto magis hic gravabimur, tanto magis in cælo coronabimur. *3tio.* Humiliter, nam specialiter præsentibus miserijs Deus atterit, ut nos in humilitate [quæ est basis virtutum & fundamentum salutis] contineat. *4to.* Patienter ad imitationem tot innocentum, tot *Sanctorum*, ipsiusq; patientissimi *Salvatoris*. *5to.* Confidenter, quia Deus Pater misericordiarum & totius consolationis, semper tristibus læta miscet, & non permittit nos tentari supra id quod possumus. *6to.* Condolenter, metiendo aliorum miserias ex nostris, & compatiendo in similibus miserijs- sicuti hortatur Apostolus Rom: 17. *Gaudete cum, gaudentibus, flete cum flentibus.* Et certè juxta *S. Greg.* *Cum alienæ infirmitati compatimur, valentius in nostra roboramur.*

Reflecte te super horum singula & perpende. Num hisce modis tolerare soleas tuas miserias? Metire veritatem ex tuis internis, externis remurmurationibus contra Deum, fors aliquando desperationi-

tionibus, maledictionibus, clamoribus, perturbationibus animi, aversionibus cordis à Deo, à proximis, desponsione mentis ab oratione, à labore, contractis à nimia bile infirmitatibus &c. & forsan invenies multa te passum non Christiformiter, steriliter, bestialiter.

Erumpe in affectus confusionis, humiliationis de tua superbia, impatientia, nimia sensibilitate in adversis. Elice actus doloris, spei, charitatis, resignationis ad *Divinam* voluntatem.

Propone aliquam singularem molestiam, æquo & miti animo tolerare.

CONSIDERATIO VI. QUare Christus licet nos redemit à culpa & pæna æterna, non tamen liberavit nos ab omni pænalitate & miseria? ℟ *1mo.* Ut satisfiat Decreto Divinæ Justitiæ, punienti nos pro peccato originali. *2do.* Ut per has miserias exsolvamus Deo debita nostrorum peccatorum. *3tio.* Ut sicuti volumus esse eum Christo socij consolationis & gloriæ, simus etiam socij passionis & miseriæ. *4to.* Ut concitemur ad odium peccati, propter quod unicè tam graves multiplicesq; patimur miserias. *5to.* Ut per has miserias & amaritudines desipiat nobis mundus, & vita præsens, dulcescat autem Christus, & sapiat vita æterna. *6to.* Ut peccator his miserijs trahatur & convertatur ad Deum, sicut reus citatione trahitur ad Judicem. *7mo.* Ut præsentes miseriæ sint nobis memoriale mortis continuum; nam sunt quædam

mortis

mortis præludia, maximè infirmitates & morbi.

Reflecte te supra Divinam Justitiam, eamq; revere humiliter: supra Divinam Sapientiam nostro bono has miserias immittentem, eamq; adora.

Erumpe in affectus detestationis peccatorum. Elice actus oblationis tuarum miseriarum Deo pro peccatis: recognitionis quod merito omnia pateris, & graviora merueris. Desiderij, ut sis socius passionis & consolationis cum Christo. Propone in morbis; vivacem excitare mortis memoriam.

Conclusio harum Considerationum per Orationem Dominicam.

Pater noster qui es in Cælis. Et ego in terra miseriæ, in terra salsuginis, in terra exilij, in valle lacrymarum: respice miseriam meam, respice misericordiam tuam. *Sanctificetur nomen tuum* pro omnibus miserijs, quibus me probas, ut Pater amantissimus, quibus me castigas ut Judex clementissimus. *Adveniat Regnum tuum*, à quo exulat omnis miseria, in quo omnis felicitas, & omnis est beatitudo. *Fiat voluntas tua &c.* ut ej conformer, sive me juste castigat, sive misericorditer consoletur. *Panem nostrum quotidianum &c.* panem gratiæ qui me confirmet in hoc exilio, ut in omnibus miserijs subsistam in amore tuo, in debita patientia. *Et dimitte nobis debita nostra* Quid quid enim in præsenti vita me premit, debetur peccatis meis: quot quot patravi sce-

lera, tot contraxi pænarum onera. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quid quid unquam molestiæ perpessus sum ab alijs, non reputo pro injuria, imo eam amore tui plene condono. *Et ne nos inducas in tentationem* resistendi voluntati tuæ, ex qua omnis crux & miseria descendit. *Sed libera nos à malo* culpabilis ignorantiæ, sævientis concupiscentiæ, inflexibilis malitiæ Amen.

CAPUT VI.

MEDITATIO

De Morte.

CONSIDERATIO I. QUid sit mors? quam certa sit mors? quam incertæ ejus circumstantiæ? ℟. ad *1mum.* Mors est separatio violenta animæ à corpore: corporis ab operationibus, commodis, delicijs, vitæ. Est interemptio sensuum tam internorum quam externorum. Est totius hominis ex hoc mundo perpetua expulsio, ex omnibus amatis bonis spoliatio.

Est amicitiarum, plausuum, honorum, divitiarum, solatiorum, desideriorum instantanea perditio, & perennis sepultura. Est ille peremptorius terminus, quo præsentaberis districto Judici, nec lacrymis placabili, nec ullis precibus exorabili. Est punctum illud decretorium, à quo pendet & incipit æternitas aut sine fine beata, aut sine fine dolenda.

Ad

Ad 2dum. Mors eſt certa ut nihil magis. Nam ſtatutum enim eſt hominibus ſemel mori. Lex iſta comprehendit & arctat omnes, divites & pauperes, humiles & ſublimes, impios & *S*anctos ipſumq; *S*anctitatis fontem Chriſtum Dominum. *Ad 3tium.* Mortis loco, tempore, cauſa, & modo nihil eſt incertius. Nam utiq; 1. Alij moriuntur domi, alij in via, alij in Patria, alij extra Patriam: 2. Alij in juventute, alij in ſenectute: alij dum maximè ſperant, alij dum minime ſperant: 3. Alij pereunt morbo, alij ſubitâ irâ, dolore, pudore, alios mergunt flumina, alios occidunt fulmina. 4. Alij moriuntur in ſanctis, alij in peſſimis operibus, alij defunguntur pretioſa morte *S*anctorum, alij pereunt morte peſſimâ peccatorum. Quanquam ordinarie evenit, ut qualis eſt vita, & finis ſit ita.

Reflecte te quam omnium terribilium terribiliſſimum ſit mors, & quam certa nihilominus ſit? Interim cogitas ne mortem tibi futuram? Paratus ne es hodie ad mortem? ad inchoandam quam neſcis æternitatem? An vitam tuam ſic inſtituis, an conſcientiam ſic expiatam habes, ut quolibet loco & tempore mori ſis paratus & ſupremo Judici præſentari? Vide an non pleraq; his in te ſunt contraria?

Erumpe in affectus ſancti timoris. Elice Actus approbationis, laudationis Decreti Divini de morte. Reſignationis ad omnem locum, tempus, & modum mortis, projiciendo te in ſolam Divinam bonitatem. Propone frequentiorem mortis memo-

riam,

riam, & eundo cubitum dic: Ad lectum, ad lethum.

CONSIDERATIO II. QUæ bona mors adfert justis? & quæ mala injustis? ℞. *Ad 1mum.* Justis hæc bona mors adfert. *Antecedenter* Solatium in ægritudine, quam suscipiunt ut nuntium cælestis sponsi invitantis ad cælum. Gaudium ex separatione à mundo, quem contempserunt, & cujus amaritudines probe cognoverunt. Spem certam salutis ac vitæ beatæ, quam ex meritis Christi, suisq; cum gratia Dei, conceperunt. *Concomitanter.* Præsentiam & vigorem mentis, quo se elevant ad Deum & æterna. Resignationem sui plenam in manus Dei. Occursum *SS.* Angelorum, Reginæ Angelorum B.V.M. ac nonnunquam ipsius Christi, Domini, consolantium in doloribus, invitantium ad cælestes delicias, ut in multis servis Dei probatum habemus. *Subsequenter* deniq; adfert susceptionem animæ à *SS.* Angelis, & felicem comparitionem in Dei conspectu. Liberationem ab omnibus hujus vitæ miserijs, Beatitudinem interminatam & securitatem perpetuam. ℞. *Ad 2dum.* Injustis mors hæc mala adfert: 1. *Antecedenter*, nempe: ægritudines, dolores, incommoda corporis, eò graviora, quo delicatioribus accidunt. Amaritudinem animi ex desertione voluptatum, divitiarum, honorum quibus cor immersum habuerunt. Horrorem & mentis angustiam provenientem ex consideratione peccatorum, quæ passim ad desperationem eos perducit. 2. *Concomitanter*, nempe: Difficultatem ele-

vandi cor ad Deum, disponendi se Christianè, & pænitendi ex intimis præcordijs. Assultum dæmonum, qui omnes conatus exerunt ad animam peccatoris confundendam, perturbandam, obdurandam in malo. *Separationem* deniq; animæ à corpore violentam, absq; omni cordis solatio, spe salutis, ac protectione cælesti.

3. Subsequenter nempe. Raptum animæ miseræ à dæmonibus, [& tot certe quot eorum in vita invocavit, quot eorum desideria fecit] & statuitionem coram irato Judice Deo. *Sententiam* damnationis æternæ, ejusq; in inferno executionem perpetuam. Corporis tandem corruptionem, horrorem, fætorem, & post ultimum judicium æternos cruciatus. Reflecte te in qua sorte mors te reperiet, justorum an injustorum? Num bona quæ justis adfert, num deploranda mala quæ injustis, à morte tua sperare debeas? Ab hac consideratione pendet momentum salutis tuæ! Attende saltem non conniventer, an in anima tua non hæreat aliquod peccatum inolitum, & diuturnâ consvetudine in naturam pene conversum? [qualia peccata sunt passim: Inveteratum odium, consveta mollities corporis, avaritia & cæcus amor bonorum temporalium] hoc enim profecto ponet te in parte injustorum, ac dum adhuc vivis, omni vi & conatu illud extirpa.

Erumpe in affectus timoris, desiderij mortis justorum. Elice actus doloris, detestationis peccatorum, deprecationis Dei, petitionis &c.

Propone rimari accuratissime quod vitium tibi maximum periculum & horrorem in morte incuteret?

CONSIDERATIO III. A quo mors homini venit? ℞. Occasionaliter venit mors 1. A peccato originali; nam juxta Apostolum *ad Rom:* 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes pertransijt. 2. Ab immoderato appetitu multorum hominum, saltem ocyor mors venit, dum vivunt quasi absq; lege & mensura, gulæ, ventri & libidini nimis indulgent: & sane: plures occidit crapula quam gladius. 3. Ab inhonoratione Parentum, & juste inducta super se maledictione illorum; nam Deus dixit: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longævus super terram. *Exod:* 20. *Efficienter* vero mors venit à Deo. 1. Ut effectus ejus bonitatis, nè homo diutius vivendo, longius torqueatur, amplius peccet, & plus pœnæ mereatur. 2. Ut effectus Divinæ sapientiæ, tum nè mali diutius bonis noceant, tum ne boni diutius vivendo inter labendi pericula, corrumpantur. 3. Ut effectus Divinæ Justitiæ: sive dum punit morte ipsos tanquam vitâ indignos: sive dum justos transfert de mundo, tanquam jam cælo maturos, & vitâ meliore dignos. Reflecte te 1mo. Num tuâ immoderantia vitam tibi non abbrevias, quam impendere posses gloriæ Divinæ meritis tuis, bono Ecclesiæ, Religionis? num quoq; irreverentiâ Parentum sive carnalium, sive spiri-

tualium,

tualium, ut sunt superiores, & alij tui Majores, tibi mortem non accelerasti, tibiq; ipsi non sis injurius? *2do.* Qualemnam mortem sperare debeas? an ut effectum Divinæ Justitiæ præmiantis, num vero punientis?

Erumpe in affectus pudoris & humiliationis coram Deo, pro toties forsan datâ à te occasione mortis. Elice actus laudis Divinæ bonitatis, sapientiæ ac Justitiæ. Resignationis ad mortem tanquam pænam tuorum peccatorum. Propone mortificationem gulæ, passionumq; tuarum.

CONSIDERATIO IV. PRo quo est necessaria mortis nostræ ignoratio? ℞. *1mo.* Ut semper simus parati, quolibet momento vocem Dei expectando. *2do.* Ut in timore Dei contineamur, expectando quolibet tempore, & quovis loco mortem ceu gladium capitibus nostris impendentem. *3tio.* Ut justi nescientes quantum temporis habent ad merendum, tanto impensius quolibet die pro salute sua operentur, sicut agricola nesciens quando hyems terram constringet, quam instantissime sementem absolvit. *4to.* Ut injusti saltem hâc incertitudine mortis ab audacia peccandi arceantur & compescantur. Quid enim non auderent, si terminum vitæ perspectum haberent?

Reflecte te an paratus sis, imo saltim esse velis ad mortem? An occurrentem menti recordationem mortis non consulto repellis, ut liberius & laxius vivas? An cumulasti lucra salutis per aliqua

opera excellentia, quæ tibi quoquomodo possunt mortem assecurare?

Plus ne temporis & studij impendis temporalibus bonis, quam spiritualibus & æternis? An non hucusq; totus es in præsentis vitæ desiderio? in commodis, delicijs quærendis &c.

Erumpe in affectus timoris Dei, desiderij vitæ æternæ: Elice actus doloris de tua negligentia merendi per bona opera vitam æternam? de tua audacia imo temeritatate in peccando, quasi à Deo *Syngrapham* acceperis quam diu vives. Propone in majori timore Dei salutem tuam operari.

CONSIDERATIO V. QUomodo nos ad mortem præparare debemus? ℟. Dupliciter. *Remote & proxime.* Remotæ præparationis formam præscribit Apostolus ad *Tit:* dicens: sobrie & juste & piè vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei. Porro *Sobrie* vivimus, si non solum ebrietatem proprie talem (quæ permultis abripit vitam, & mortem repentinam affert) studiose vitamus. Sed etiam, si vitam instituimus cum moderamine debito affectuum, non declinando ad dexteram vel sinistram, non nutando in primo studio perfectionis, non palando [ebriorum more] per varia mundi bona, per varias & vanas animi curas. *Iuste* vivimus: quo ad Deum, reddendo illi semper debitum amorem & honorem: quò ad proximum, non lædendo, non scandalizando, sed exhibendo illi charitatem, bonum exemplum, pro

posse

posse obsequium: quo ad te, aut servando primam innocentiam, aut expiando conscientiam. *Pie* vivimus, in devotione interna crescendo, in amore Dei proficiendo, Divinis meditandis inhærendo, virtutum exercitijs insistendo, & ad ea quæ sunt spiritûs primam curàm adhibendo. *Proximæ* præparationis formam porrigit ipse Christus: *Marci: 13.* dicens. Videte, vigilate. & orate; nescitis enim quando tempus sit. *Videmus* si brevi futuram mortem respicimus, quanto plures annos vitæ exegimus, quanto majores in corpore affectiones præsentimus. *Vigilamus* si in gravi & lethali morbo positi oculos mentis nostræ avertimus à terrenis, & convertimus ad salutaria, nempe ad maturè expiandam conscientiam, ad suscipienda Sacramenta moribundis necessaria. *Oramus* si eo tempore ferventius mentem ad Deum elevamus per affectus & actus fidei, spei, amoris Dei, resignationis, condonationis injuriarum, desiderij videndi Deum, oblationis nostrorum dolorum, gratiarum actionis &c. si quoque ad lucrandas in articulo mortis Indulgentias bene nos coaptamus.

Reflecte te. Num sobrie, juste & pie hactenus vitam egisti? sic enim vivere est signum optimæ præparationis proximæ. Reflecte te num gravi aliquando ægritudine conflictatus vidisti, vigilasti & orasti? An non forsan in morbis totam curam de corpore habuisti, impatientissime dolores tulisti, servientes tibi onerasti, exacerbasti?

Erumpe in affectus confusionis tui doloris &c. Elice actus gratitudinis Deo, quod te hucusq; conservet. Propone melius vitam instituere, ut bonam mortem commereare.

CONSIDERATIO VI. QUare tam boni quam mali potius ociorem mortem, quam longam vitam debeant exoptare? ℞. Boni ob has causas. 1. Quia diu in hoc mundo vivere, nihil aliud est, nisi diu torqueri. 2. Quia licet vita præsens est campus merendi, mors tamen est medium omnia delinquendi pericula pro semper evadendi. 3. Quia illorum miseriæ nonnisi morte finiuntur. 4. Quia post mortem recipient pro suis laboribus mercedem, & pro pugna coronam immortalem. *Mali* verò ob has 1. Ne diutius vivendo, amplius & amplius Deum offendant. 2. Ne proximis noceant amplius eos affligendo vel scandalizando. 3. Ne in mundo locum occupent fidelioribus Dei servis. 4. Ne majorem damnationem incurrant, accumulando in dies peccata.

Reflecte te, an non potius omnia tua desideria tendant ad præsentem vitam longiorem? & agnosce te gravi hoc errore ac stultitiâ laborare.

Erumpe in affectus confusionis de tua stultitia. Elice actus resignationis, contemptûs vitæ præsentis. Propone vanam spem & desiderium vitæ è mente tua repellere.

Conclusio

Conclusio harum Considerationum per Orationem Dominicam.

PAter noster qui es in cælis. Agnosce me jam moriturum pro filio, & concede, ut in agone possim dicere: Pater in manus tuas commendo spiritum meum' respice me tunc de cælo sancto tuo, & libera me in mortis hora ab inferni periculis. *Sanctificetur nomen tuum* & imprimatur ori & cordi meo, usq; ad ultimum expirium nomen JESU Salvatoris mei. *Adveniat Regnum tuum.* Ah! utinam non sero, ut te ocyus videam amemq; beatificè. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Ad quam implendam, ad quam adorandam resigno me, ad mortem, & eam voluntariè à Te Domino vitæ & necis suscipio. *Panem nostrum quotidianum &c.* Panem vivum qui de Cælo descendit, da nobis hodiè, & maxime ante mortis horam, ut Viaticum peregrinationis, ut pignus beatitudinis. *Et dimitte nobis debita nostra,* quia infinitè bonus es! sed & bonitatem tuam offendi? dimitte tamen Domine, quia copiosam mei accepisti redemptionem, sangvinem, vitam, Mortem Filij tui: & tunc dimitte Domine servum tuum in pace. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* nemo jam mihi Domine quidquam debet, ego tantum tibi debitor sum summi amoris, utinam in ejus actu moriar. *Et nenos inducas in tentationem* præsumptionis aut desperationis in ultima

hora

hora vitæ meæ. *Sed libera nos a malo* finalis imperſeverantiæ, libera me ab hoc malo per doloroſam JESU agoniam, per omnia viſcera Tuæ pietatis: Amen.

CAPUT VII.
MEDITATIO
De Iudicio Dei.

CONSIDERATIO I. QUis judicabit? quis judicabitur? ubi, quando, & quomodo? ℟. Ad *1mum*. Judicabit Deus, ob ſuam immenſitatem ineffugibilis, ob ſummam rectitudinem indeclinabilis, ob ſummam ſapientiam indeceptibilis, ob ſummam Juſtitiam inexorabilis! Judicabit Deus, quantum olim pius & miſericors, tantum in die judicij ſeverus & juſtus. Judicabit Deus millies offenſus, contemptus, neglectus & irritatus. Judicabit immediatè & viſibiliter Chriſtus JESUS, Amator noſtri æternus, Legiſlator Sanctiſſimus, Altor noſtri Dulciſſimus, Redemptor laborioſiſſimus! Jlle JESUS, qui amore ſalutis noſtræ maxima egit, diriſſima ſuſtinuit! ℟. Ad *2dum*. Judicabitur omnis homo, & examinabitur quatenus eſt homo ratione præditus, ad æterna creatus: quatenus Chriſtianus, Religioſus &c. ℟. Ad *3tium*. Judicium particulare ſubibit in eo loco ubi decedit è vita. Univerſale in

valle

valle Josaphat pone montem Oliveti; nam ex quo loco Christus ascendit in Cælum, in eodem comparebit ad judicandos homines: & in quo loco incæpit opus Passionis & misericordiæ suæ, in eodem quoque consumabit opus Justitiæ suæ ℟. Ad *4tum.* Particulariter & solitarie judicabitur homo in momento mortis suæ, dum anima separabitur à corpore. Generaliter vero judicabitur die illá soli Deo notâ, die iræ & indignationis, die calamitatis & miseriæ, die tenebrarum & caliginis, die tubæ & clangoris, ut dicitur *Sophoniæ cap 1.* ℟. Ad *5tum.* Judicabitur in veritate & justitia, nulla enim tunc obrepet falsitas, nulla restabit causa clementiæ.

Reflecte te coram quanto & quali Judice? quantillus & qualis comparere debebis? Formidas Judicem hominem tibi naturâ æqualem, reatu aliquando parem: ô quam exhorresces Judicem Deum, infinities Te Digniorem, sanctiorem! coram quo nec cæli mundi sunt, & in Angelis suis reperit pravitatem.

Erumpe in affectus sancti timoris. Elice actus fidei, adorationis supremi Judicis, humiliationis tui, confessionis peccatorum, implorationis Divinæ misericordiæ &c. Propone sæpius renovare memoriam Judicis Dei.

CONSIDERATIO VI. QUæ potissimum timenda sunt in particulari? & quæ in universali Judicio Dei? ℟. Ad *1mum.* Hæc timenda erunt. 1. Judicis Christi omnia videntis exactissima inquisitio de rebus singulis à ma-

ximo usq; ad minimum; ita ut non solum de negotijs magni momenti [ut sunt Sacramentorum usus, trangressiones votorum aut gravium præceptorum] sed etiam de minutissimo quadrante temporis inutiliter perditi, de verbis otiosis, & cogitationibus occultissimis rationem sit exacturus. 2. Multitudo rerum de quibus reddenda erit ratio; cui enim multum datum est, multum requiretur ab eo. Cum ergo tibi innumera prope collata sint beneficia tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ, vide quantam patieris difficultatem in reddenda ratione! 3. Inductio demeritorum tuorum per infensissimos dæmones, quibus multifariam peccando obedisti, servijsti, quos forsan multoties invocasti: qui utiq; producent non solum tabellam tuorum peccatorum, sed etiam omnium à te scandalizatorum, corruptorum, offensorum, afflictorum &c. 4. Quia Judicium etiam particulare, est ultimæ instantiæ, à quo nulla dilatio, nulla intercedere potest appellatio, nec aliud ab illo expectandum, nisi unum ex his: *Discede à me maledicte in ignem æternum* vel *veni benedicte Patris mei posside Regnum.* ℟. Ad *2dum* Hæc timenda erunt in Judicio Universali. 1. Aspectus irati Judicis, & Majestas nusquam visa & audita, quæ ipsis quoq; sanctis timorem incutiet, & damnatis horrorem intolerabilem, ita ut tunc clament ad montes & petras: *Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni Apoc: 6.* 2. Aspectus Crucis Christi ac vulnerum ejus

ejus ſuper ſydera fulgentium, monumentorum amoris illius, ſignorum olim ſalutis, ſed millies à multis contemptorum. 3. Dismembratio perpetua, irrevocabilis ac æterna plurimorum, cognatorum, amicorum, contribulium, ConChriſtianorum, Conſacerdotum, Correligioſorum, dum alteros illorum ſtatuet Judex à dextris, alteros ad ſiniſtram ceu hædos retrudet. 4. Revelatio omnium ſecretiſſimorum facinorum coram univerſo hominum cætu & exinde pudor intolerabilis ac opprobrium ſempiternum, quod maximè ſuperbis erit inexplicabile tormentum, ijs ſpecialiter quos mundus adorabat, qui pro pijs & ſanctis cenſebantur. 5. Sententia ultima, publicumq; decretum contra damnatos. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, quod approbabunt, collaudabunt, omnes beati & ipſa beatorum Regina, Dei Judicis Mater.

Reflecte, te, an hæc infanda mala, ſerio tuæ menti inprimere ſoleas, & quantum inprimere debeas ut ſalveris? Perpende quomodo in armatam fulminibus irati Judicis faciem oculum levabis? qui à clementiſſimo nunc Patre oculos toties avertiſti, quoties contemptô inæſtimabili Deo, ad miſellam Creaturam cor & animum convertiſti. Attende, quâ fronte crucem JESU, ſangvine illius rubricatam aſpectabis? qui toties inimicus Crucis ejus, conculcator pretioſi ſangvinis ejus, & vulnerum ejus fueras renovator?

Erumpe in affectus timoris & confuſionis tui. Elice actus humiliationis tui &c.

Propone sæpius hæc quæ dicta sunt in memoriam revocare; & illud Propheticum ingeminare: *Malach 3. Quis stabit ad videndum Eum?*

CONSIDERATIO III. A quo accusabitur homo in judicio Dei?

℟. 1. A Sancto Angelo Custode, qui sicuti nunc est noster ad bonum Excitator, Pædagogus, Tutorq; indefessus, ita in die judicij comparebit Patronus justitiæ, zelotes læsi à te honoris Divini, & memor optimè suarum à te offensarum. 2. A malis Angelis, nunc blanda, tuæq; sensualitati placita suggerentibus, tunc autem vel minima peccata tua cum insultatione producentibus. 3. A Complicibus tuorum peccatorum, maximè his quos ad peccandum, & fors ad damnationem induxisti. 4. A propria tua conscientia, quæ contra te erit tanquam mille testes, & speculum totius vitæ tuæ. 5. A Legibus Divinis & humanis, quibus te subdidisti [vg: à Regula tua] & toties eas infregisti, contempsisti. 6. A qualibet Creatura ad usum tibi concessa, quâ non es usus ad Dei gloriam, sed ad ejus offensam. 7. A Christo ipso, qui labores ac sudores suos tuæ salutis causa susceptos palam producet, & ingratitudinem tuam accusabit.

Reflecte te, quam ingentia castra contra te consurgent in judicio Dei? Quantus pudor & horror te invadet, dum in manu uniuscujusq; cernes authenticam tabellam peccatorum tuorum?

Erumpe in affectus admirationis. Elice actus deprecationis Christi JESU, Angeli tui Custodis, doloris

doloris de peccatis. Propone vivere cautius & castius, quasi omnis creaturæ oculi in te jacerentur.

CONSIDERATIO IV. PRo quo coram Judice Deo judicabitur homo? & pro quo damnabitur vel salvabitur? ℟. *1mo* Pro cogitationibus vanis & malis. *Vanis*, idest ad nullum finem bonum, honestum, salutarem ordinatis. *Malis* idest quæ sunt contra veritatem, charitatem, puritatem, pietatem &c. si in illis cogitationibus deliberatè versabatur, nec excutiebat ex animo, sed consentiebat, vel ijs delectabatur. *2do* Pro verbis otiosis seu vanis, tanto magis læsivis, scandalosis, blasphemis, falsis &c. *3tio*. Pro intentionibus perversis, malis, vanis, per quas etiam opera ex se bona corrumpebat. *4to*. Pro operibus malis sive proprijs sive alienis, idest suâ ope causatis in alijs, tam publicis, quam occultis, tam notis quam affectate ignotis. *5to*. Pro omissionibus illorum bonorum operum, ad quæ sivè ex præcepto Divino, sive assumptâ obligatione status, officij, sive ex forti instinctu Divino tenebatur. *6to*. Pro malo, ignavo, vel nullo fere usu collatorum sibi à Deo talentorum, gratiarum, ac temporis pretiosi. Pro his omnibus si pervenerunt ad peccatum mortale damnabitur: E contra pro bonis cogitatis, dictis, intentis, factis, salvabitur.

Reflecte te super horum singula, scrutare Jerusalem animæ tuæ in lucernis, idest examina absq;

negligentia & assentatione. Metire cogitata, dicta, facta tua ex intentionibus tuis, quæ si in te sunt passim bonæ & rectæ, potes humiliter inferre, quod rarius actiones tuæ tam internæ quam externæ, lethaliter peccaminosæ fuerint, si vero perversæ? infer oppositum.

Erumpe in affectus timoris Divinorum judiciorum, desiderij operandi salutem tuam in majori timore & diligentia. Elice actus confusionis tui, humilitatis, doloris &c: Propone examina conscientiæ diligentius instituere.

CONSIDERATIO V. QUomodo nos ad Judicium Dei præparare debemus? ℞. Multis quidem modis [quos recenset Tob: Lohner Tom: 2. Tit: 72.] at his præcipuè. *1mo.* Si frequenter conscientiam nostram lustraverimus, eamq; contritione, confessione ac pænalibus operibus expiare studuerimus. *2do.* Si caveamus aliorum vitam, actus & mores, ex levissimis conjecturis ac indicijs temere judicare. *3tio* Si aliorum judicia temeraria, & quasvis injurias nobis illatas patienter feramus, ex corde condonemus, & inimicis nostris benefaciamus. *4to.* Si Judicem nostrum conciliemus nobis muneribus bonorum operum, maxime charitatis, misericordiæ, humilitatis. *5to.* Si Judicem nostrum Christum fideliter imitemur ejusq; mandata, exempla, consilia sequamur & impleamus. *6to.* Si Passioni Christi ex corde afficiamur, eamq; frequenter ac ferventer recolamus & in ea spem nostræ salutis reponamus.

namus. *7mo.* Si B. V. Matrem Dei, Matrem pulchræ dilectionis, & sanctæ spei, sincero amore, devoto cultu & obsequio prosequamur; nam; ideo ab æterno Mater Dei præelecta est, ut quem Deus salvare non potest per meritissimam justitiam, ipsa salvet per misericordiam & pietatem suam, teste *S. Chrysost.*

Reflecte te absq; conniventia, num hæc media assecurandi tibi Judicij Divini in praxi habeas?. Perpende quod vix Morio in theatrum prosilit imparatus, tu vero ad theatrum Judicis Dei, ad publicam illam scenam, forte minime es paratus. Quid si hodie ad Judicium Dei vocareris?

Erumpe in affectus confusionis de tanta tua stultitia, negligentia salutis tuæ æternæ. Elice actus timoris, doloris &c. Propone, ante mortem præparare Judicium tuum.

CONSIDERATIO VI. Ob quas causas Judicium Dei universale sit necessarium cum in particulari unusquisq; judicabitur? ℞. Ex parte Dei sunt hæ causæ: 1. Ut Deus coram omni rationali creatura justificet causam suam, ostendatq; opera Sapientiæ, Providentiæ, Justitiæq; suæ circa gubernationem salutemq; omnium fuisse vera, sancta & justa. 2. Ut Deus ostendat Majestatem gloriæ suæ non solum electis, sed etiam reprobatis, ad eorum horrorem & opprobrium sempiternum. 3. Ut confundantur & revereantur qui detrahebant oraculis ac operibus Dei, eaq; in reprobum sensum detorquebant. Ex parte

Chri-

Christi sunt hæ. 1. Ut omnes ejus contemptus in vita, in Passione, in SS. Sacramento illati, publicâ damnatorum confusione, electorum vero laude & confessione reparentur. 2. Ut Christi JESU altissimus honor elucescat, ex visibili Judiciaria potestate, sibi à Deo Patre collata, & perstringat oculos & corda illorum, à quibus inique fuit judicatus. 3. Ut Passio, Crux & vulnera Christi, media salutis nostræ, ab omni Creatura agnoscantur, publiceq; honorentur.

Ex parte hominis hæ causæ. 1. Ut damnatorum peccata quæ studiosè occultabant, sacrilege celabant, omnibus pateant, ad majorem suæ hypocrisis pænam, & superbiæ confusionem. 2. Ut electorum pia opera plurimis ignota, actiones sinistre a multis interpretatæ, innocentia sæpius condemnata, pateat omnibus ad maximam gloriam electorum. 3. Ut impij sint inexcusabiles de suis peccatis, ubi videbunt innumeros similis, ætatis, status, conditionis, in ijsdem periculis, tentationibus, occasionibus, in gratia & amore Dei se conservasse, & gloriam æternam meruisse.

Reflecte te super hoc opus Divinæ sapientiæ idest supra universale Judicium, & perpende quid tibi immineat horroris ex visa Dei Majestate, Christi Persona & Cruce. Ex sacrilegis forsan tuis confessionibus, ex hypocrisi tua, ex temerarijs multorum judicijs, persecutionibus, ex omnibus deniq; tuis peccatis?

Erumpe in affectus admirationis Divinæ Justitiæ ac sa-

ac ſapientiæ. Elice actus adorationis earundem, laudis, gratulationis Chriſto Domino, omnibusq; electis ejus. Invoca Paſſionem, Crucem, Sangvinem Vulnera Chriſti in ſalutem. Exere actus, timoris, doloris, ſpei. Propone confeſſiones tuas exactiſſime abſolvere, omnem hypocriſim devitare.

Concluſio harum Conſiderationum Per Orationem Dominicam.

PAter noster qui es in Cælis. Agnoſco te Patrem amantiſſimum, timeo Judicem ſeveriſſimum, ſubijcio me Tuæ Juſtitiæ Sanctiſſimæ, Proijcio me in abyſſalem miſericordiam tuam. *Sanctificetur nomen tuum*, quia judicia tua vera ſunt, & omnes viæ tuæ juſtitia, quia miſericors & miſerator & juſtus es Domine. *Adveniat Regnum tuum*, à quo exhæredari quidem promerui, ſed me tua pietas reſtituat, quem impietas mea jure ad illud deſtituit. *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo & in terra.* O utinam illa miſerantiſſima voluntas quâ omnes vis ſalvos fieri, & neminem vis perire: quâ non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Panem vitæ & aquam ſapientiæ ſalutaris, ut cognoſcam tremenda judicia tua, ut ea recogitem, & timeam a judicijs tuis *Et dimitte nobis debita noſtra.* O quantum tibi debeo mi Domine pro tot beneficijs! quantum pro iniquitatibus meis! Heu! non habeo unde ſolvam! uſur-

po mihi ex thesauro meritorum Christi, ex abyssis miserationum tuarum. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Dimitto & ego omnibus ex toto corde meo, dimitte tu mihi Domine ex toto corde tuo, facio amore tui quod jussisti, da ut pius quod promisisti. *Et ne nos inducas in tentationem* oblivionis judiciorum tuorum. *Sed libera nos à malo* illius terribilis sententiæ, quam proferes in damnatos. Amen.

CAPUT VIII.

MEDITATIO

De Pænis Inferni.

CONSIDERATIO I. QUid sit Infernus damnatorum? ℞. *Imo. Quo ad situm.* Infernus est antrum vastissimum in centro terræ situm, à constitutione mundi paratum diabolo & Angelis ejus. Est specus igne, sulphure plena, omni fætore, putore, ex totius mundi fæcibus descendente infecta. Est immane chaos, densis tenebris horridum, in quo lux diesq; nunquam, in quo ignis lucet miseris ad augmentum ut videant unde doleant, & non ad consolationem; ne videant unde gaudeant. *2do. Quo ad qualitatem.* Infernus est Cataclysmus omnium malorum, diluvium omnium miseriarum, cruciatuum, dolorum, in anima, in corpore, mirâ Dei virtute in-

te intensorum, elevatorum in summo gradu. Est carcer æternus debitorum summi Creditoris, in quo semper lugent & luunt debita, nunquam tamen solventur ab illis. Est Theatrum sævientis [quanquam sancte] Divinæ Justitiæ, in quo omnis creatura armatur ad ultionem inimicorum ejus, omnia elementa vim totam exerunt, omnes sensus & potentiæ vivacissimè sentiunt. *3tio. Quo ad durationem.* Est Oceanus, qui nunquam exhaurietur. Est circulus in quo ultimum punctum non attingetur. Est nodus qui nunquam dissolvetur? Est æterna pæna, & pœnarum æternitas. *4to. Quo ad incolas.* Est ergastulum omnium dæmonum contra homines invisorum, cruentorum. Est receptaculum omnium rabidorum, furibundorum, desperatorum, iniquissimorum, spurcissimorum, maledictorum, despectorum, à facie, à consortio, à corde Dei repulsorum.

Reflecte super hæc singula inferni mala, & totis artubus exhorresce. Expende quam infelicem te censeres, si aliquot annis in tenebris, in latrina sederes? si aliquot annis uno gravi dolore vg. podagræ aut dentium affligereris? si aliquot annis inter scelestissimos, pessimos versareris? Quid igitur inferes? o quam horrendum in tenebris, in flammis, in omnibus, in summis doloribus, in consortio pessimorum dæmonum & hominum, idq; pro momentanea volaptatula, irrevocabiliter, æternaliter perennare, tabescere, ululare.

Erumpe in affectus timoris. Elice actus fidei

pænarum infernalium. Approba & lauda Divinam Justitiam, invoca Misericordiam. Dole ac geme de peccatis. Propone infernum in memoriam revocare.

CONSIDERATIO II. QUæ damnati patiuntur in inferno? ℟. *1mo.* Generaliter. Patiuntur pænam damni & sensûs, illam in anima, hanc in corpore, sicut in utroq; peccaverunt. Prior consistit in privatione Visionis Dei beatificæ perpetua. Posterior in dolorum sensibilium inflictione. *2do.* Particulariter. Patiuntur *in Intellectu*, continuam, indesinentem recogitationem summorum malorum, dolorum, cruciatuum quæ sustinent & sustinebunt in æternum. *In voluntate* perpetuam contrarietatem, desperationem, exclusionem omnis piæ affectionis ad optimum numen. *In Memoria* vermem conscientiæ, idest meracissimum dolorem & pudorem ob peccata commissa, ob æterna bona amissa, ob æterna mala immissa, propter modicam voluptatem & vanitatem temporaneam. Qui vermis seu passio nunquam quiescet, nusquam morietur, sed vorabit animam damnati morsu amarissimo. Patiuntur *In Imaginativa & sensitiva Potentia*, fortissimam apprehensionem malorum præteritorum, horrorem futurorum, & exinde rabiem, iram, furorem, ex quo erumpent fletus, gemitus, dentium stridor, rugitus, ululatus inconditi. Patiuntur in sensibus externis. Nam *Visus* cruciabitur ejaculantibus undiq; flammis, mordacissimô

fumô,

fumô, densis tenebris, teterrimis larvis, horrificis, monstris, novis & novis torturæ instrumentis. *Auditus* horrendis contra Deum blasphemijs, lamentis, contra Sanctos, Parentes, Superiores, contra socios criminum, contra diem nativitatis, Professionis, Sacerdotij, demum rictibus belluarum infernalium, rixis tantorum hominum & dæmonum, & væ omnium continuo. *Odoratus* tot corporum putridorum, tot sordium quæ ab initio mundi in vastissimam inferni latrinam defluunt, tot vaporum quæ ex sulphure, calce ascendent, gravissimo pædore. *Gustus* immani fame, ardentissima siti, omni amaritudine, nauseâ, ex fædissimis sordibus, venenis, liquatis metallis, felle, pice, sulphure discruciabitur. *Tactus* igne omnes fibras penetrante & findente, frigore omnes artus constringente, concisione omnium frustatim membrorum, discerptione omnium nervorum, venarum, ossium &c.

Reflecte te super tam immanes damnatorum pænas à quibus nulla animæ portio, nulla in corpore pars vacabit. Perpende attentius pænam damni.

Quid est hoc, videre Deum nunquam? amare Deum nunquam? amari à Deo nunquam? Cogita ex hac pæna, quam infanda mala sequantur? Nempe: æterna & inexorabilis aversio miserantissimi illius Divini cordis à quolibet damnato, tanquam ab hoste, tanquam à veneno &c. Constans obturatio Divinarum aurium ad lamenta quæq; damnatorum, etiam olim diu amicorum. Abnegatio firma &

oblivio mira eorundem; nam oblivione oblivi- ſcetur eorum qui ſedent in tenebris, & in umbra mortis. *Oſea 1.* Deletio, eraſio damnatorum [ah quam multorum *Sacro* nomine inſignium] de libro viventium, ut vel nomen eorum non memoretur amplius. Omnium *SS.* Angelorum, omnium hominum beatorum, ipſiusq; Matris pulchræ dilectionis & ſanctæ ſpei odium implacabile [quanquam ſanctum] erga damnatos. Perpende acerbiſſimas ſenſuum pœnas! Quid tecum fiet delicatule, cui ordinis rigor, cui juſta pro peccatis pœnitentia tam eſt moleſta? Quid fiet, dum in omnibus tuis ſenſibus patieris, torreberis, diſcerperis, affligeris &c.

Erumpe hinc in affectus admirationis, timoris. Elice actus, doloris, deprecationis, ſpei &c. Propone corpus tuum caſtigare dum vivis, nè poſt mortem tam dira patiaris.

CONSIDERATIO III. PRo quo hiſce pœnis torquentur damnati?

℟. *1mo.* Torquentur pœnâ damni, pro averſione mentis ſuæ à ſummo bono, à ſummo pulchro, ſcilicet Deo, & pro contemptu amicitiæ, charitatis, gratiæ Divinæ, ac cæleſtis gloriæ, poſtponendo tanta bona ſuis deſiderijs & vanitatibus; juſtum namq; eſt ut qui mentem ſuam averterunt à Deo, ávertat faciem ſuam ab ejs. *2do.* Torquentur in potentijs rationabilibus animæ, nempe *in Intellectu* pro ejus converſione ad vana & tranſitoria. *In Voluntate* pro ejus adhæſione ad eadem.

In Me-

In Memoria pro immersione ejus in creatis, & oblivione Divinarum legum, inspirationum, rerum salutarium & cælestium. *3tio.* In alijs animæ potentijs, pro imaginationibus vanis fædis, perversis: pro desiderijs & oblectamentis sensualibus. *4to.* In sensibus externis pro eorum incustodia & dissolutione. Sic in *Visu* torquebuntur pro aspectibus vanis, lubricis, curiosis, impudicis &c. *In Auditu* pro libenti adhæsione ad verba blasphema, detractoria, impia, scandalosa. *In Odoratu* pro nimia conniventia, & delectatione in rebus svaviter olentibus, fastidio cujuscunq; fætoris vg: ægrotantium. *In Gustu & ore* pro nimia delectatione in commessationibus, dulciarijs, potationibus, ad luxum, excessum, pro jejunijs Ecclesiæ non servatis & contemptis. Pro verbis item inhonestis, detractorijs, læsivis, impijs, perjuris, maledictorijs, scandalosis, &c. *In Tactu* deniq; pro luxuria & conniventia corpori suo; maxime cum excessu, corruptione alienæ innocentiæ, cum profanatione sacrorum locorum &c.

Reflecte te super hæc singula, & examina, num per omnes potentias animæ corporisve tui, non patrasti ea, quibus tam graves iminent pænæ.

Recogita usum mentis, cordis, sensuumq; tuorum, num fuit ordinatus, modestus, honestus & prudens? num forsan dissolutus, inhonestus, brutalis? &c. Et infer quod quantum in delicijs fuisti, tantum tibi datur tormentorum, & ut prædixit Job. c. 20. *Lues qua fecisti omnia, nec tamen*

men

men consumeris, juxta multitudinem adinventionum tuarum, sic & sustinebis.

Erumpe in affectus timoris. Elice actus doloris serij, confessionis & confusionis coram Deo: implora pijssimam Dej misericordiam, deprecare Justitiam Propone eos maxime affectus extirpare, eos sensus mortificare, quibus magis deliquisti.

CONSIDERATIO IV. A quolibet damnatorum qualiter hæc pænæ sustinentur in inferno? ℟. *1mo.* Sustinentur cum summo animi mærore, perturbatione ac furore, eo quod ab ultimo fine ac centro suo scilicet Deo ac beatitudine irrevocabiliter deviaverint, licet tot viæ ac mediâ præsto illis fuerint ad eum attingendum & possidendum. *2do.* Cum inexplicabili cruciatu ac dolore omnium sensuum, absq; ullo respirio, levamine ac remedio. *3tio.* Cum maxima invidia contra Deum, Sanctos, potissimum se olim inferiores, suarum iniquitatum sodales, cum illos recogitant & vident æternum beatos, se perpetim infelices. *4to.* Cum summo odio, blasphemia & maledictione contra Deum qui illos condemnavit, contra Parentes, Tutores, Præceptores, Superiores, Sodales, qui illos à peccatis non reduxerunt, imò ad multa scelera induxerunt. *5to.* Cum intensissimo desiderio sui finis, interitûs, annihilationis, quod quantò erit sterilius & vanius, tanto gravius eos discruciabit. *6to.* Cum desperatione continua & irremediabili, cogitando se omni amicitiâ, protectione, consolatione, & clemen-

mentiâ privatos. *7mo.* Patientur æternaliter, nam nihil in inferno audietur; nisi hæc duo verba: Semper. Nunquam. semper pati, semper torreri. Nunquam cessare, nunquam respirare.

Reflecte te super horum singula, & potissimum expende, quanta damnatorum est infelicitas, quod eorum corda, in quibus olim diffusa fuit charitas Dei per Spiritum *S.* ora quæ ad laudem sui Deus creavit, quæ pretiosus Christi *Sangvis* toties tetigit & sacravit, solus furor, ira, odium, blasphemia contra Deum occupabit! Concitâre ad hoc ut amor Dei nunquam in corde nunc tepescat, ut de ore tuo nunquam Dei laus deficiat: ne fors in inferno cor tuum Deum aversetur, & lingva Ei maledicat.

Erumpe in affectus & desideria laudationis & amoris Dei. Elice actus timoris, spei &c. Propone sæpius tibi in mentem revocare: Quid sit æternitas damnatorum?

CONSIDERATIO V. QUomodò potest homo evitare pænas inferni? ℞. his modis. *1mo.* Si vivens frequentabit & visitabit infernum, ac mente consistens ad portas inferi, pie recogitabit, quæ damnati patiuntur pro suis peccatis. *2do* Si proprium amorem ac voluntatem non sequetur, imo studiose mortificabit; nam juxta. *S.* Bern: Cesset propria voluntas & infernus non erit. *3tio.* Si paupertatem Spiritûs colet ac servabit, non apponendo cor ad perituras hujus mundi opes. Avaritia enim sive in aggregandis, sive in retinendis temporalibus bonis,

est quoddam peccatum insensibile & culcitra diaboli, in qua placide obdormiunt ejus sectatores, tantoq; majori periculo damnationis sunt obnoxij, quanto minus hoc peccatum in se advertere possunt. Unde plurimi sobrij, casti, devoti, etiam homines status spiritualis, in hanc muscipulam & laqueum diaboli incidunt, ac æternum pereunt. *4to.* Si in vera intimaq; humilitate fuerit cum Dei gratia fundatus; nam humilibus dat gratiam Deus, quâ superbi diaboli tela retundere viriliter, quâ virtutes omnes conservare stabiliter possunt, & sic inexpugnabiles fiunt. *5to.* Si dignos fructus pænitentiæ pro delictis egerit, carnem macerando, animam humiliando, adversa sustinendo, misericordiam alijs exhibendo, injurias condonando, Deum assiduè placando. *6to.* Si Bs. V. Mariam Advocatam peccatorum, tenerô amore & fiduciâ prosequatur, sinceroq; cultu, obsequio, imitatione, sibi conciliare non desistat.

Reflecte te num his & similibus modis uti consveveris ad evitandas inferni pænas? Perpende modicam forsan tuam fidem, raram meditationem de inferno: proprij amoris, judicij, voluntatis in te prævalentiam: tacitam saltem avaritiam, furtivas licet exiguarum rerum procurationes, retentiones: defectum veræ humilitatis: tepidum amorem Matris pulchræ dilectionis? &c.

Erumpe in affectus admirationis de socordia tua ad evitandas pænas inferni. Elice actus fidei, confusionis tui, doloris &c. Propone sæpius ad portas

tas inferni accedere. Renova proposita tua serviendi B. V. Mariæ ferventius &c.

CONSIDERATIO VI. QUas ob Causas potissimum plurimi hominum damnantur? ℟. Licet sit in confesso apud omnes quod pro unoquoq; peccato mortali finali, & non expiato damnatur homo. Cum tamen id ipsum sciri nequit quis in tali peccato finali decedet è vita [quandoquidem & diu & multum peccantes ex inscrutabili suo judicio nonunquam Deus salvet à finali peccato] SS. Patres assignant quasdam causas probabiles, seu signa ex quibus merito possumus inferre, quis morietur in peccato finali, adeoq; quis condemnabitur. Harum causarum seu signorum. *1mum. est* Infidelitas, sive absoluta, qualis est in Atheis, Paganis, Judæis, sive partialis qualis est in hæreticis &c. nam sicuti absq; fide impossibile est placere Deo, ita in ejus gratia vivere & mori. Et videmus quod ex millionibus ejusmodi infidelium vix aliqui convertuntur, proinde innumeri damnantur. *2dum. est* Consvetudo vel recidivatio in aliquod saltem unum peccatum; nam tale vitium converti solet in naturam & necessitatem, adeoq; vix unquam est extirpabile, tantoq; gravius si post conversionem ad Deum, ut vg. post vocationem Religiosam in alicujus anima radicetur. *3tium. est* Perversitas animi, seu modus vivendi secundum regulas pravæ politicæ, seu mundanæ sapientiæ quæ dictat: Cor machinationibus tegere, sensum verbis velare,

quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare: oretenus comiter, cordetenus dolose cum alijs procedere: ambire, procurare, defendere honores, opes, medijs [si desunt licita] illicitis, vg. pejerando, æmulos supplantando, è vita tollendo. *4tum. est*, Propositum seu determinatio voluntatis, ad non proficiendum in vita spirituali, qui enim non proficit deficit, sensimq; contemnit leges Dei, Ecclesiæ Religionis, Superiorum, & in omne malum laxatur. Quod signum maxime pertimescendum est Religiosis hominibus, qui licet non teneantur esse consummate perfecti, cæterim tenentur ad perfectionem tendere. *5tum. est*, Quodlibet peccatum contra Spiritum S. quod sicuti cum plena cognitione, cum pertinacia, cum malitia committitur, ita vix unquam à Deo dimittitur.

Reflecte te, num aliqua saltem horum in anima tua non hæreant? Utrum totâ efficaciâ mentis ab hisce signis recessisti, aut recedere contendas?

Erumpe in affectus timoris. Elice actus fidei, gratiarum actionis DEO pro tui vocatione ad fidem salvificam, ad S. Religionem, pro gratijs præservativis à consvetudine peccandi. Actus doloris de tua qualicunq; perversitate, defectu, tepiditate in Spiritu. Propone quæcunq; signa damnationis eradicare ex anima tua, & cum spe & gaudio conscientiæ in posterum Deo servias.

Con.

Conclusio harum Considerationum per Orationem Dominicam.

Pater noster qui es in Cælis. Et ego Parricida tuus, qui toties levavi manum contra Te Deum Omnipotentem, & quot commisi scelera, tot infernos aperui, tot gehennas promerui. *Sanctificetur nomen tuum* pro illo excessu bonitatis tuæ, quod non dum post tot crimina, inter damnatos, blasphematores nominis tui, oblatrantes Justitiæ tuæ, inveniar. *Adveniat Regnum tuum* Ah! non illud regnum tenebrarum, quod mihi toties emi! adveniat regnum dilectionis tuæ, ut inter filios regni ego quoq; recensear. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Ah! non amplius mea cæca, fatua, & perversa, quæ sola ardet in inferno. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè* Qui pascis me à juventute mea cibo Angelico, ne permittas quæso ut sim esca ignis infernalis. *Et dimitte nobis debita nostra* quibus vel mille patiendo gehennas non satisfaciam Justitiæ tuæ. Dimitte mihi pro tua pietate, quod solvere nequeo ex mea vilitate. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, nullum vindictæ affectum in corde servando, nullam vindictam à te implorando. *Et ne nos inducas in tentationem* finalis peccati quo à gratia tua excidere, & æternum deberem condemnari. *Sed libera nos à malo* blasphemandi te, odiendi te cum damnatis in æternum Amen.

CAPUT IX.

MEDITATIO
De Gloria Cælesti.

CONSIDERATIO I. QUis hominum cæle-stem gloriam consequetur? ℞. Quilibet à Deo prædestinatus & perseverans in ejus gratia usq; in finem. Hujus signa præcipua à *SS.* PP. hæc assignantur. *1mum. est* Vocatio Divina efficax [idest ab homine acceptata illiusq; consensu completa] Tum ad fidem Catholicam. Tum ad statum aliquem perfectum, maxime Religionis bene institutæ. Talis enim vocatio est fundamentum & medium singulare bene sanctéq; vivendi, Christum D. imitandi, & justitiam Christianam operandi. *2dum.* est Justificatio quæ fit per liberam susceptionem Divinæ inspirationis dum peccator convertitur, & gratiam sanctificantem. deletivam omnis peccati mortalis. Continuatur vero per firmam aversionem cordis ab omni peccato, per desiderium proficiendi, per exercitia sanctarum virtutum. *3tium. est* Victoria heroica mundi & sui. Vincimus porro mundum per Votum & cultum *Obedientiæ* spernendo honores. Per votum & cultum *Paupertatis* contemnendo divitias. Per votum & cultum *Castitatis* despiciendo spurcas voluptates. Vincimus nosmetipsos per abnegationem sinceram nostri proprij judi-

judicij, voluntatis, amoris, & mortificationem aliarum passionum propter Deum. Taliter namq; se vincenti, promisit Deus manna absconditum, & edere de ligno vitæ, *Apoc: 2.* idest vitam in cælo beatam. *4tum est* Propensio ad opera misericordiæ tam spiritualia, quam corporalia, & in ijs exercitatio studiosa; nam ipse Christus *Matt. 25.* clarissime assecuravit regnum cæleste facientibus opera misericordiæ, dicens: Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum; esurivi enim & dedistis mihi manducare. &c. *5tum. est* Zelus salutis animarum, Sangvine Christi redemptarum, seu fervens desiderium convertendi proximos, reducendi ad viam salutis, trahendi ad fidem, cultum, amorem Dei, tum verbo sanæ doctrinæ, tum exemplo sanctæ vitæ, tum minis, tum pænis. Hæc namq; virtuosa passio juxta *S. Dyonis.* est opus omnium divinorum divinissimum! est cooperatio Deo in salute animarum, est maxima probatio amoris erga Deum, est singularis imitatio Christi. Unde Zelotibus suis non solum Deus confert æternam beatitudinem, sed altissimum gloriæ gradum. *6tum. est.* Devotio interna, quæ est affectio pia svavis ac fervens, sive ad laudandum Deum, sive ad agendum quodcunq; pro majori Dei gloria, gustu ac beneplacito ejus. Hæc enim affectio generatur ex magna & viscerosa Dei charitate. Ipsa quoq; Devotio erga Bs. V. Mariam, conjuncta potissimum imitationi virtutum ejus, admodum

probabile ſignum prædeſtinationis à *SS.* PP. cenſetur, & innumerorum feliciſſimâ experientiâ comprobatur. *7mum. eſt* Perſeverantia finalis in fide vera, in ſtatu ac obſervantia Religioſa; nam ipſa veritas æterna edixit *Matt: 10.* Qui perſeveraverit usq; in in finem hic ſalvus erit.

Reflecte te num hæc ſigna prædeſtinationis & adipiſcendæ ſalutis in te reluceant! quod ſi ita? humillimas Deo redde gratias, cura diligentiſſime, ut in anima tua radicentur. *Si* forte ſecus? novo fervore, conatu, diligentiâ, vitam inſtitue, & præmiſſa ſigna in anima tua implantare ſtudeto.

Erumpe in affectus gratitudinis pro vocatione Divina ad fidem, ad *S.* Religionem. Elice actus fidei, deſiderij virtutum, abnegationis, & victoriæ tui, miſericordiæ erga proximos, ac zeli ſancti. Propone exerceri in devotione interna, & perſeverare cum gratia Divina in fide Catholica, in *S.* Religione.

CONSIDERATIO II. QUæ præmia confert Deus electis ſuis in gloria Cæleſti? ℞. 2plicia præmia Alia Eſſentialia, alia Accidentalia. *Eſſentialia* præmia conſiſtunt in amotione cujuscunq; mali ſeu miſeriæ tam in anima tam in corpore, tum in collatione omnis boni, quo impleri, quietari & ſatiari poteſt rationalis creatura. *Bona* igitur reſpectu animæ hæc ſunt: 1. In intellectu viſio ſeu cognitio Dei ac Divinorum clariſſima, absq; omni velamine, dubio, errore, defectu, ſimulq; viſio ſeu notitia perfecta, omni-

um rerum creatarum in Dei essentia tanquam in speculo, quæ totam humanæ mentis curiositatem & innatum sciendi appetitum quietabit. 2. In voluntate. Svavissima Dei summi boni fruitio, amando, complectendo Deum, & incessanter gaudendo de illo, & in illo. Hic amor, hic gaudium, hæc delectatio de Deo, quo sanctior puriorq; est, tanto gratior, tanto svavior est; nam voluntati nullum inferet timorem, fastidium, tædium, sed constantem ac perpetuam voluptatem. 3. In Memoria, Possesio Dei ac omnium bonorum securissima, quam nulla vis eripere, minuere vel immutare poterit.

Bona Respectu Corporis, potissimum sunt quatuor 1. *Claritas*, quâ omnem splendorem, decorem, candorem quandocunq; visum excellet, & quanto sanctior erit anima, tanto clarius corpus habebit. 2. *Agilitas* par Angelis, adeò ut in uno oculi ictu, possit beati corpus quemcunq; locum attingere; sicut vg: nunc humana cogitatio. 3. *Subtilitas*, ob quam penetrare possunt beati omnes res corporeas vg: muros, velut radius vitrum. 4. *Impassibilitas* ob quam à nullo elemento, imò à nulla vi creatâ quidquam patientur corpora beatorum. Insuper omnes sensus omni delectatione perfruentur, ut *Visus* ex mira rerum omnium pulchritudine, præsertim speciosissimi præ filijs hominum Christi JESU, ac Ejus Matris pulcherrimæ. *Auditus* ex inaudita harmonia concentu, ac laudatione Dei continua. *Odoratus* ex miro odore. *Gustus* ex miro sapore auræ svavissimæ, quæ

R erit

erit quoddam manna absconditum, & omni nectare dulcius alimentum corporum beatorum. *Tactus* ex mira libertate ab omni fomite sensuali, tum omnium rerum subtilitate, quæ nunquam tactum irritabit, at potius delectabit.

Accidentalia præmia seu dotes beatorum sunt. *1mo.* tres, quæ vocantur Aureolæ, seu coronæ speciales, pro singulari labore & merito collatæ. Harum *1ma.* est Aureola Virginitatis, quæ est speciale gaudium, triumphus, & applausus curiæ cælestis, pro servata virginali integritate & carnis victoria. *2da.* Aureola Martyrij pro perseverantia in fide vel justitia, & simul victoria tormentorum. *3tia.* Aureola Doctoralis, pro labore ac zelo in erudiendis hominibus, illuminandis & ad viam salutis deducendis. *2do.* Accidentalia præmia sunt. *1mum.* Vastitas & amænitas cælestis Patriæ, quæ est ipsamet Dei sedes, regnum, & illud securum, pacatum: quæ est divitiarum Dei conditorium, deliciarum Dei publica scena, ac Theatrum amplissimum. *2dum.* Societas beatorum conviventium sibi, collætantium, conregnantium, quorum est amor perfectus, omnium unus spiritus, omnium cor apertum omnibus, omnium sine invidia communio, omnium commune gaudium, eadem vita, eadem gloria. *3tium.* Ocupationes beatorum, sanctæ, illimes, gaudiosæ, deliciosæ. Ad extremum: *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.*

Reflecte te super tanta cælestis gloriæ bona, & reco-

recogita. Deum erga beatos tam profusum, ut ad eos ditandos, & beandos nihil boni tam creati quam increati sibi reservet. Perpende felicitatem hominum beatorum inæstimabilem eamq; æternam.

Erumpe in actus admirationis, desiderii &c. Elice actus gratitudinis, spei. Propone in te frequentius, desiderium videndi & amandi Deum excitare.

CONSIDERATIO III. Pro quo tanta præmia dantur electis in gloria Cælesti? ℟. *1mo.* Præmia Essentialia, nempe *Amotio* omnium malorum dantur beatis pro constanti & forti sustinentia miseriarum & adversitatum vitæ præsentis. *Collatio* omnium bonorum pro merito bonorum operum sive præceptorum sive spontaneorum. *2do.* Bona Animæ dantur, *ut Visio Dei beatifica* pro merito Fidei in cujus obsequium captivabant suum intellectum. *Fruitio Dei* pro merito charitatis, quâ in Deum ut summum bonum ferebantur. *Possessio Dei* pro merito spei, per quam Deo ut in promissis fidelissimo adhærebant. *3tio.* Bona corporis dantur beatis, uti *Claritas* pro merito & usu prudentiæ. *Agilitas* pro merito Temperantiæ. *Subtilitas* pro merito Justitiæ. *Impassibilitas* pro merito Fortitudinis & victoria adversorum. *4to.* Bona accidentalia dantur, uti *Aureola Virginitatis* pro victoria carnis. *Aureola Martyrij* pro victoria mundi. *Aureola Doctoratûs* pro victoria dæmonis animarum hostis. Item *Vastitas* & amænitas cælestis Patriæ pro

contemptu generoſo terrenorum ob amorem Dei. *Societas* beatorum pro fuga malorum conſortiorum, ac ſancta & exemplari converſatione cum hominibus. *Occupationes* beatorum, pro fuga otij, vita laborioſa, exercitio virtutum.

Reflecte te, num polleas hiſce virtutibus ac meritis, quibus tanta bona, tam copioſam mercedem Deus præparavit? An non forte hucusq; in ſocordia tua permanes, parum de virtutibus cogitando, ſegniter in illis te exercendo? Quod ſi ita ſit, vide ne vel in ſtatu amittendæ beatitudinis hæreas, aut plurimos gradus æternæ gloriæ amittas.

Erumpe in affectus confuſionis, humiliationis tui, de tua ſocordia. Elice actus, fidei, ſpei, charitatis, deſiderij cæleſtis gloriæ. Propone diligentius exercitium ſanctarum virtutum.

CONSIDERATIO IV. A quo tanta bona cæleſtis gloriæ proveniunt? ℟. *1mo.* proveniunt à miſerantiſſima voluntate Dei, quæ ſicut omnes vult ſalvos fieri, ita omnibus & ſingulis confert gratias & validiſſima auxilia ad bona opera & merita celeſtis gloriæ; ideo juxta *S. Aug: Dum coronat merita noſtra, coronat munera ſua. 2do.* A ſumma Dei Juſtitia, qui ſicut in hac vita præcepit ut ſtrenuè pugnemus in ſtadio virtutum, ita rite militantibus, pro ejus honore, fide, & amore, coronam juſtitiæ reddit quam promiſit. *3tio.* A Chriſti JESU Salvatoris noſtri inſtimabiljbus meritis, totius vitæ ſanctiſſimæ,

mæ, Passionis acerbissimæ, quæ omnia non fuerunt ordinata ad promerendam Christo æternam beatitudinem; [nam illam habuit per modum hæreditatis ut Filius Dei] at solum ad nostram. Proinde cum esset ab æterno Filius Dei, factus est in tempore Filius hominis, ut nos redderet Filios Dei adoptivos & gloriæ suæ cohæredes. Cum esset ab æterno benedictus, factus est pro nobis maledictum, *Gal.* 3. [tot quippe maledicta, opprobria, blasphemias, in vita & Passione sua pertulit] ut nos repleret æternis suis benedictionibus. Cum esset naturâ suâ felicissimus, factus est pro nobis miserrimus, ut nos miserrimos faceret in gloria sua beatissimos.

Reflecte te num serio consideras, num visceroſe amas miserantissimam Dei voluntatem, ac fidelissimam Dei Justitiam, quæ tuæ beatitudinis est causa & principium, quæ tuæ spei ac desiderij fundamentum est ac fomentum? Num Christo JESU, ejusq; laboribus, meritis, Passioni gratum te exhibeas, de illa cogitando libenter, illam tibi applicando, imitando &c.

Erumpe in affectus confusionis tui. Elice actus Benedictionis, glorificationis Misericordiæ ac Justitiæ Divinæ, Actus gratitudinis Christo Domino, spei, desiderij, gloriæ cælestis. Propone spem cælestis gloriæ sæpius in te excitare.

CONSIDERATIO V. Quomodo nos præparare debemus ad gloriam cælestem consequendam? ℟. 1mo. Sæpe de illa

cogitando, & illius desiderium in nobis excitando; quanto enim minus homo aliquod bonum cognoscit & desiderat, tanto minorem curam adhibet de illo assequendo. *2do.* Frequenter & quam dignissime sumendo *SS.* Sacramentum uti pignus æternæ gloriæ, fontemq; omnis gratiæ *3tio.* Orationi potissimum mentali diligenter insistendo, quæ est fomentum amoris Divini, & medium intimæ cum Deo unionis. *4to.* Prospera hujus mundi contemnendo, adversa verò patienter ad imitationem Christi sustinendo; nam utiq; per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei. *5to.* Non solum peccata, verum etiam omnem speciem iniquitatis [uti sunt imperfectiones & defectus] omni conatu fugiendo; nam in illam Civitatem Patriæ Cælestis, nihil intrabit coinquinatum. *6to.* Pænitentiam seriam & non seram de peccatis agendo, nam peccata mortalia non expiata per pænitentiam, privant hominem cælesti gloriâ, venialia quoq; sic non expiata impediunt à consecutione illius. *7mo.* Redimendo [donec vita superstes est] male transacta priora tempora, ac spatia reliquorum dierum sanctis operibus implendo.

Reflecte te, num hisce modis præparas te ad capessendam beatitudinem æternam? An non potius minimam de illa curam adhibeas, & sic vivas, quasi asini aut nescio cujus interesset, æternum beari, lætari, deliciari cum Deo & Sanctis ejus.

Erumpe in affectus pudoris de tua, socordia de modica fide ac desiderio cælestis gloriæ. Elice

actus

actus doloris de tua impatientia, impænitentia, negligentia orationis. Excita in te fervens desiderium beatitudinis. Propone saltem bis in die tale desiderium renovare & elicere.

CONSIDERATIO VI. Quare Deus tam magna præmia confert electis in cælo? ℞. Ob has rationes. *1mo.* Ut ostendat Deus Magnificentiam suam, nam tantæ Majestati gloriosum est longe majora dare præmia, quam humana vilitas mereatur. *2do.* Ut demonstret Bonitatem suam perfectissimam, dando ipsi magna bona in creatione, majora in redemptione, maxima vero in glorificatione. *3tio* Ut declaret Justitiam suam nam amor hominis erga Deum super omnia, meretur præmium super omnia bona, & tale bonum est solus Deus, ejusq; possessio. *4to.* Ut nos alliciat ad suum amorem, & excitet ignaviam nostram ad bona opera, dum pro eis promittit tam excelsa præmia. *5to.* Ut sicut bona opera hominis justi sunt in intentione maxima & æterna, ita merces eorum sit magna nimis & æterna. *6to.* Ut Christi Domini tanto sit major gloria, & gaudium, dum Ejus mystica membra [idest homines] eâdem cum illo tanquam Capite, gloriâ & beatitudine perfruuntur. *7mo.* Ut nos Deus edoceat quanta sit felicitas hominis, esse Filium Dei adoptivum per gratiam; quandoquidem talem facit Deus hæredem omnium bonorum suorum, & proprij Filij sui cohæredem.

Reflecte te super horum singula, perpende ineffabi-

fabilem magnificentiam Divinæ Majeſtatis, immeſtatam Bonitatem, rectiſſimam Juſtitiam.

Erumpe in affectus adorationis, æſtimationis earundem. Elice actus, gaudij, ſpei, gratitudinis, laudis glorificationis. Aſpira ad Chriſtum Dominum & pete ut Ei tanquam Capiti tuo æternum uniaris. Propone opera tua majori fervore, ſublimiori intentione exercere, ut digna ſint tam ſublimi in Cælis præmio.

Concluſio harum Conſiderationum per Orationem Dominicam.

PAter noſter qui es in Cælis. Et quousq; ego totus in terra, totus in ſterquilinio? Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, ut evolem ad te, ut gaudeam aſpectu vultûs tui, ut invocem te: Pater meus es tu! *Sanctificetur nomen tuum.* O utinam ibi ubi Seraphim: Sanctus, Sanctus, Sanctus tibi acclamant, ubi eſt ſanctificium tuum, ubi eſt feſtum perpetuum, laudandi, amandi, adorandi Te! *Adveniat Regnum tuum* regnum deſiderabile, regnum quod in perpetuum non auferetur, Regnum ſancti amoris tui. *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo & in terra.* Ah! non fit in terra cordis mei voluntas tua, transfer me in Cælum, & ibi faciam, ibi laudabo omnes voluntates tuas. *Panem noſtrum quotidianum &c.* Comedo hic panem afflictionis, paſcor ſiliquis porcorum, exul mæreo, & fame pereo. Ah utinam accumbam ad menſam

tuam,

tuam, & ſatier ab ubertate domûs tuæ. *Et dimitte nobis debita noſtra.* Hoc eſt quod me impedit, quia debitor ſum tot talentorum, tot pænarum! quot commiſi ſcelera, tot contraxi onera! At tu patientiſſime Creditor dimitte mihi per viſcera Paternæ miſericordiæ tuæ. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ob amorem & imitationem tui, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. *Et ne nos inducas in tentationem*, quia ecce Domine in illa non proficio, ſed millies à Te deficio, à ſtudio cæleſtis gloriæ deſiſto. *Sed libera nos à malo*, à vita iſta præſenti; tu enim ſcis Domine, quantum & quale mihi malum eſt, exulare à Te, non videre Te, non amare Te. *Amen.* Sit vitæ meæ miſeræ Amen, & nunquam amoris laudisq; tuæ ſit in me

A
M E
N.

TRACTATUS III.

De Fontibus & Exercitijs piorum actuum & affectuum.

QUandoquidem Ascetica Theologia sui Cultores potissimum edoceat ac excitet, ad mentem conjungendam Deo per orationem, hæc vero absq; pijs affectibus atq; devotis actibus manca sit & jejuna, idcirco visum est usui Tyronum aperire aliquos fontes talium affectuum & actuum, è quibus illos haurire possint. Similiter porrigere illis exercitia seu modos queis præmissa elicere valeant. Sit igitur.

CAPUT I.

De Fontibus piorum affectuum & actuum.

Primus FOns est Conscientia serena, & cor purum à peccato. Nam ad tale cor loquitur Deus, in eo Cathedram habet Spiritus S. in eo diffundit suam charitatem, ex qua tanquam ex igne scintillæ & flamma, ita pij ad Deum erumpunt affectus & actus, feliciterq; inquietum faciunt animum, ut sæpius & sæpissime aspiret ad Deum, feratur in Deum, alloquatur illum, imploret illum, speret, credat, ametq; ut pote quem

prope

prope habet, quem intus tenet, quo fruitur, quo vivit. Unde legimus & novimus, plerosq; hominum rudes & illiteratos, longe intensius, diutius frequentius vacare pijs affectibus, quam nescio quos Theologos, & magnarum scientiarum Magistros. Quid quæso in illis rudibus eam fæcunditatem affectuum generat? nisi conscientiæ serenitas, cordis puritas, mentis securitas, quæ est quasi juge convivium, animi libertas & lætia, quæ sicuti in rebus humanis facundiam verborum concitat, ita quoque in rebus Divinis. Proinde tu Religiose Tyro, primam hanc adhibe curam, ut conscientiam mundam ab omni peccato maxime graviori ac deliberato conserves: omni custodia serva cor tuum, ab omni terreno carnaliq; affectu, & erit tibi fons aquæ salientis in vitam æternam, è quo prorumpent frequenter pij affectus, tædium in oratione mentisq; ariditas non sentietur; nam frequentissime Deus tibi obviabit, ad cor tuum pulsabit & loquetur, accedes ad eum & illuminaberis, alloqueris eum & respondebit tibi.

2dus. Fons est Præsentiæ Divinæ renovatio, consideratio viva Viventis & Videntis omnia Dei, quæ si menti inhæreat, plane est impossibile, quin ex ea frequentes ac plurimi in corde affectus excitentur: maxime vero affectus adorationis, admirationis, glorificationis &c: ex his vero actus fidei, spei, amoris, timoris, doloris erumpent. Hoc è fonte sexcentos affectus suos hauriebat David, nam Ps. 15. dicit. *Providebam Dominum in*

conspectu meo semper, propter hoc lætatum est cor meum & exultavit lingva mea. Et Ps. 76. *Memor fui Dei & delectatus sum. & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Duplici vero modo possumus nobis præsentiam Dei in mente imprimere. *1mo.* Recogitando Deum ut est in se, vg: immensum, æternum, immortalem, incomprehensibilem, ineffabilem, Trinum & unum. Omniscium, Omnipotentem, Justum, Bonum, Misericordem &c. *2do.* Recogitando Deum in operibus Sapientiæ, Potentiæ, Justitiæ, Misericordiæ, Bonitatis ejus. Prima recogitatio Dei est sublimior, atq; à nostro humano conceptu remotior, altera nostro captui propinquior. Per utramq; tamen varios affectusq; pios excitare in nobis possumus, ut admirationis, adorationis, amoris, laudis, benedictionis. Sic David considerans Deum in se, erumpebat in affectus admirationis, laudis. vg. Ps. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Ps. 144. *Magnus Dominus noster & magna virtus ejus & magnificentiæ ejus non est numerus.* Considerans autem Deum in operibus ejus, erumpebat in affectus benedictionis vg. Ps. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt Nomini Sancto ejus &c.* Hoc modo usi sunt tres pueri in fornace Babylonica. *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Hisce modis tu quoque utere mi Asceta, & sanctorum affectuum copiam habebis.

3tius. Fons est. *S. Scriptura* utriusq; Testamenti, quæ sicut Verbum Dei hominibus dictatum non solum docet mentes, sed etiam corda movet ad pios erga Deum affectus. Hæc utiq; sola à principio nascentis Ecclesiæ, fuit *Sanctis* Viris liber Meditationum, Recollectionum, Concionum, adeoq; & piorum affectuum, potissimum vero Psalmi Davidis, quorum, singuli pene versus, halant pios affectus vel actus. Proinde cum omni attentione lege, audi *S. Scripturam*, recita, canta Psalmos, & innumeris affectibus imbueris.

4tus. Fons est. Lectio librorum spiritualium ad devotionem excitandam conscriptorum, inter quos primas obtinent *SS.* PP. Meditationes, *Solì*loquia, *A*spirationes, uti *SS.* Augustini, Bernardi, *A*nselmi, Idiotæ, tum multorum quoq; recentiorum *A*scetarum vg: Bartholom: *S*alutij, Joannis à JESU Maria, Gasparis Druzbiccij, Joan: Morawski, Blasij Palma &c. sæpe hos libros considerate lege, ac ceu apis argumentosa ex istis hortis flores decerpe, in memoria reconde, & sive alienis Deum lauda, sive proprijs ad normam horum efformatis.

CAPUT II.

De Exercitijs seu modis piorum affectuum & actuum.

TRes potissimum modos exercendi pios affectus & actus usurpant *A*scetæ, quorum.

Imus. est Per Colloquium seu Soliloquium cum Deo prolixius institutum: hoc vero solet fieri 2pliciter. *Imo.* quasi solutâ oratione. *2do.* Quasi ligata seu Rythmicâ. Utriusq; modi exempla reperire facile est in *SS.* Patribus maxime in libris *S.* Bernardi, qui tam solute quam rythmice Deum laudabat, ut constat ex ejus Meditationibus, & ex illo Rythmo: *Salve mundi salutare &c.* & alijs ad Christum passum, qui ipsi attribuuntur. Imo tota Ecclesia Catholica orat Deum, tum soluto tum ligato stylo, ut constat ex Missali ac Breviario Romano. Ad hunc utrumque modum exercendi pios affectus, præter gratiam Dei specialem requiritur magna charitas Dei, nam ut docet *S.* Aug: Man: c. 18. *Amor Dei ubi venerit, cæteros in se traducit & captivat, affectus.* Proinde sicut quo major est ignis, eo magis extenditur & altius ascendit, & diutius durat, ita quo major est charitas DEI eo magis extenditur, elevatur ad affectus, & in ijs perseverat. Item requiritur magna collectio Spiritus, & abstractio à rebus varijs nam ex Prov. 21. [juxta Hæbr. vers] *Cogitationes collecti semper in abundantia* Tandem requiritur frequens usus & exercitatio in pijs affectibus

2dus. Modus est, per breves & crebras ad Deum aspirationes, quæ à nonnullis vocantur *Motus Anagogici*, idest sursum ducentes ad Deum. Ab alijs. *Orationes jaculatoriæ* quia instar jaculorum velocissime attingunt Deum. Ab alijs *Sancta desideria* Unde Victor Gelenius aspirationem descri-

bit:

bit: *quod sit expeditus affectus erga Deum & summum bonum.* Porro *SS.* Patres magnopere dilaudant & commendant usum harum aspirationum. Tum quia per eas illa Christi doctrina ad amussim impletur Luc: 18. *Oportet semper orare & non deficere.* Tum quia nescio quibus curis distenti, laboribus occupati homines, per illas possunt Deum orare & laudare. Tum q. per illarum usum major erga Deum amor & devotio elucescit, quam per longas sed raras precationes; amantis enim est, frequenter amati sui recordari. Maximopere vero ipsa æterna sapientia hunc orandi modum commendavit; nam Christus *S.* Birgittæ dixit. *Quicunq; fide & voluntate perfecta legit hæc verba:* JESU miserere mei, *magis mihi acceptus est, quam is qui mille versus sine attentione pronuntiat.* Proinde quot quot homines perfectionis studiosi fuere, crebris hisce jaculis ad Deum se elevabant, sive unam aliquam aspirationem frequentando uti *S.* Pelagia illam: *Qui plasmasti me, miserere mei! S.* P. Franciscus illam *Deus meus & omnia!* sive varias & varias eliciendo, præsertim ut occasio ferebat: vg. Credo Domine & procido ante te. Tibi Domine omnis honor & gloria! Propter te Domine! o Deus ego amo te! Ante tribunal Dei sto! Domine vim patior! &c. Utere igitur & tu Religiose hisce jaculis quam frequentissime, & metam cordis tui Dominum Deum attingens. Quod si nec per quadrantem saltem aspirare ad Deum consveveris, credito te non esse è numero amatorum DEI.

3tius. Modus eſt per Pacta cum Deo inita ita ut quotiescunq; aliquem affectum vel actum pium elicueris, vellis illum elicere latiſſimâ & altiſſimâ intentione, vg. omni eo ſenſu quem in illo Divina Sapientia agnoſcit. Vel omni illius intenſione, extenſione, ſublimitate, perfectione, quæ Deo placita, honorifica & poſſibilis eſt. porro hæc pacta animæ, ſolent Aſcetæ diſponere per modum Scalarum & graduum ita ut unus actus ſit alio ſublimior, quarum Scalarum ſchemmata pro uſu Tyronum proponuntur.

SCALA I.

Actuum Fidei

Credo Domine!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, volo elicere omni illius intenſione, extenſione, ſublimitate perfectione, illumq; ſemper usq; ad ultimum exſpirium corde fovere & opere conteſtari. Volo Domine credere, & firmiter credo propter veracitatem tuam omnia quæcunq; mihi de Te credenda revelaſti, idq; non ſolum meâ ſed etiam.

Fide omnium *SS.* Virginum & Viduarum
Fide omnium *SS.* Confeſſorum
Fide omnium *SS.* Martyrum
Fide omnium *SS.* Apoſtolorum

Fide omnium *SS.* Prophetarum
Fide omnium *SS.* Patriarcharum
Fide totius Ecclesiæ tuæ sanctæ
Fide omni Beatissimæ Virg. Mariæ.

SCALA II.

Actuum spei

Spero in te Domine!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, volo elicere omni illius sensu, perfectione &c. tibi notâ, placitâ, honorificâ. Volo in te semper & firmiter confidere, vivere & requiescere in spe, ob inexhaustam bonitatem tuam, idque.

Expectans à te veniam peccatorum
Expectans à te gratiam copiosam
Expectans à te auxilia salutaria
Expectans à te consolationem in tribulationibus
Expectans à te victoriam in tentationibus
Expectans à te remissionem pænæ æternæ
Expectans à te remissionem pænæ temporalis
Expectans à te coronam gloriæ immortalis.

SCALA III.

Actuum Amoris Dei

Amo te Domine Deus meus!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, volo illum elicere omni illo sensu quem in eo

Tua Divina ſapientia comprehendit. Volo toties amare te Deum meum ex toto corde, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, amore replicato ad omnia inſtantia æternitatis, quia hoc à me exigis, quia amas me, quia dignus es, quia Deus es. Et amo te.

Supra omnes creatas pulchritudines.
Supra omnes carnis delicias.
Supra omnes ſæculi divitias.
Supra omnes mundi honores.
Supra omnem amorem ſangvinis
Supra omnem amorem mei.
Supra omne id, quod tu Deus non es.

SCALA IV.
Actuum Charitatis proximi
Amo Domine proximos meos propter te!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, volo illum elicere, omni ſinceritate, perfectione &c. ideo quia tu Deus charitas es, quia prior dilexiſti me, quia jubes, quia amas homines, quia imago tui ſunt, quia membra Chriſti ſunt. Et amo omnes proximos.

Mihi genere, ſangvine, natione conjunctos.
Mihi fide, Profeſſione, charactere conjunctos.
Mihi amicos, gratos, beneficos.

Mihi

Mihi infensos, ingratos, inimicos.

Mihi in fama, honore ac alijs bonis injurios.

SCALA V.

Actuum Adorationis Dei

Adoro te Deus meus!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo descendere in abyssum nihili mei, vilitatem meam recognoscere, Altitudinem tuam honorare. Idque.

Jllo cultu quem habes ab omnibus hominibus

Jllo cultu quem habes ab omnibus Angelis.

Jllo cultu quem habes à Bs. V. Maria

Jllo cultu quem habes à *SS*. Humanitate J. X.

Jllo cultu quem exigit tua infinita sanctitas

Jllo cultu quem *S*apientia tua comprehendit.

Jllo cultu qui tibi soli Deo competit.

SCALA VI.

Actuum Gratitudinis

Deo Gratias!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, toties omni intensione, effusione cordis mei, volo Tuam liberalissimam Bonitatem recognoscere & oblectare, omniq; actu, motu, respirio meo, tibi gratias reddere quas possum, quas exigis, quibus dignus es. Idque.

Pro omnibus beneficijs mihi collatis.
Pro omnibus beneficijs mihi præparatis.
Pro omnibus donis per meã ſocordiã impeditis
Pro omnibus bonis cuicunq; creaturæ collatis,
Pro omnibus bonis Religioni meæ conceſſis.
Pro omnibus bonis Eccleſiæ *S.* collatis.
Pro omnibus donis Chriſto JESU collatis.
Pro omnibus donis quæcunq; ex Oceano Tuæ Bonitatis effluere poſſunt.

SCALA VII.

Actuum Oblationis

Domine Deus Tibi offero!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo omni perfectione, ſublimitate, ad guſtum cordis tui offerre Tibi ſupremo Domino tanquam tua, omnia bona opera hominum & Angelorum, omnes actus heroicos *SS.* tuorum, omnia *S*acrificia antiquæ & novæ Eccleſiæ & quidquid Te dignum eſſe poteſt. Et offero affectu, voto ac deſiderio illo.

Quod in corde meo reſidere poteſt.
Quod in corde omnium hominum cognoſcis.
Quod in corde omnium *SS.* Angelorum.
Quod in corde Reginæ Angelorum V. Mariæ.
Quod in corde Filij tui JE*S*U Chriſti.

SCALA

SCALA VIII.

Actuum Petitionis

Domine Deus à Te peto!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo abyſſalem indignitatem & indigentiam meam coram te recognoſcere, fiduciam meam erga te conteſtari, & omni humiliatione cordis mei à tua bonitate petere mihi & alijs gratias ac dona tua, quæ noſti cuicunq; ſtatui, Profeſſioni ſalutaria, Tibiq; honorifica. Et præſertim mihi mendico & inopi, qui ſpecialiter.

Peto à Te ſpiritum veræ humilitatis.
Peto à Te ſpiritum internæ devotionis.
Peto à Te donum intimæ charitatis.
Peto à Te donum continentiæ & caſtitatis.
Peto à Te finalem perſeverantiam.
Peto à Te veniam, gratiam & gloriam
Peto à Te hæc omnia dona quibus Te magis honorare & oblectare poſſim.

SCALA IX.

Actuum Intentionis

Domine Deus propter te!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo in omni meo motu interno & externo

Te ultimum finem meum recognoſcere, gloriam nominis tui augere, amorem meum tibi conteſtari; idcirco volo omnia agere ac pati:

In recognitionem ſupremi Dominij tui.
In adorationem infinitæ Dignitatis tuæ.
In gratiarum actionem Bonitati tuæ.
In ſatisfactionem Juſtitiæ tuæ.
In proteſtationem amoris tibi debiti.
In guſtum beneplacitumq; cordis tui.
In æmulationem cum omnibus SS. tuis.
In imitationem *SS.* Virginis Matris.
In imitationem *S*alvatoris noſtri J. Chr:

SCALA X.

Actuum Deſiderij

Deſidero te millies!

ET quotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo omni intenſione, fervore, excitare in me omnia ſancta, tibi placita, honorifica deſideria. Et ſingulariter.

Deſidero Te amare amore perfectiſſimo.
Deſidero Te honorare omnibus actionibus meis.
Deſidero Te honorare omnibus paſſionibus meis.
Deſidero Tuam fidem in toto mundo propagari.
Deſidero Tuam gloriam infinities augeri.
Deſidero voluntatem tuam in omnibus impleri.
Deſidero omnes homines ſalvari & beari.

Deſide-

Desidero Te videre beatifice.
Desidero Te amare beatifice.
Desidero Te cognoscere, amare, laudare perenniter, æternaliter, omnitudinaliter, omnipossibiliter.

SCALA XI.

Actuum Doloris

Peccavi Domino!

ET quotiescunq; hunc actuum elicuero, toties volo toto corde omnes actus confessionis, imo & omnes modos ac formas pænitentiæ, Tibi notas & placitas exprimere ac elicere, præcordialiter dolere de peccatis, illa eluere, extingvere in me, sicuti nunc pro semper.

Doleo quod peccaverim contra te & coram Te.
Doleo propter severissimam Justitiam tuam.
Doleo propter dulcissimam Bonitatem tuam.
Doleo propter altissimam Dignitatem tuam.
Doleo propter extremam vilitatem meam.
Doleo propter grvissimam malitiam meam.
Doleo propter execrandam ingratitudinem meam
Doleo amore, pretio, æstimatione tui.
Doleo, dolore omnium *SS.* Pænitentium.
Doleo dolore Christi JESU, quem habuit pro peccatis omnium nostrum.
Doleo quia vis ut doleam, quia das ut doleam.

SCA-

SCALA XII.
Diverſorum Pactorum & Actuum
PACTUM I.
Acclamationis & Reclamationis SS. Trinitati.

Vivat SS. Trinitas unus Deus!
℟. *Vivat, vivat!*

QUotiescunq; hunc actum elicuero toties volo non meo tantum corde, ſed omnium creaturarum cordibus, affectibus, viribus, conatibus, laudare, benedicere, glorificare, prædicare, confiteri te, acclamare Tibi, ut honor tuus, nomen tuum amor tuus, beatitudo tua.

Vivat in tua incomprehenſibili Deitate.
Vivat in ſumma Eſſentiæ tuæ unitate.
Vivat in admirabili Perſonarum Trinitate.
Vivat in omnibus Perfectionibus tuis.
Vivat in omnibus operibus tuis.
Vivat in omnibus hominibus viatoribus.
Vivat in omnibus animabus Purgatorij.
Vivat in omnibus Angelis Sanctis.
Vivat in Pretioſiſſima Virgine Maria.
Vivat in *SS.* Humanitate Chriſti JESU.
Vivat vivat inceſſabiliter, æternaliter.

PACTUM

PACTUM II.

Acclamationis & Reclamationis Domino nostro IESU Christo.

Vivat Rex noster IESUS Christus ℟. *Vivat, vivat.*

QUotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo omni fide amore, voto, recognoscere Te JESU Christe verum Deum & hominem, Redemptorem meum, Dominum omnis substantiæ meæ Regemq; cordis mei, optareq; & acclamare semper, ut fides nominis tui, honor tuus, amor tuus, doctrina tua, vivat in omnibus gentibus & finibus terræ. Volo ut cor meum jugiter sonet.

Vivat JESUS in sinu æterni sui Patris.
Vivat JESUS in utero ac sinu Virginis Matris.
Vivat JESUS in præsepiolo Infans.
Vivat JESUS in medio Doctorum Puer.
Vivat JESUS in laboribus Adolescens.
Vivat JESUS in prædicatione Evangelij.
Vivat JESUS in stupendis miraculis.
Vivat JESUS in acerbissima sua Passione.
Vivat JESUS in cruce & morte.
Vivat JESUS in suo glorioso sepulchro.
Vivat JESUS in corde suæ Matris Dolorosæ
Vivat in cordibus omnium Amatorum suorum.
Vivat in SS. Eucharistiæ Sacramento.

Vivat ad dexteram Patris in gloria.
Vivat JESUS Rex meus & Deus meus Amator meus & amor meus in æternum.

PACTUM III.
Acclamationis & Reclamationis Pretiosissimæ Virginis Mariæ.

Vivat SS. Virgo Maria.
℟. *Vivat, vivat.*

QUotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo omni fidelitate, ac filiali teneritudine Te ô Virgo & Mater Pretiosissima, agnoscere, colereque ut Personam uni secundam Deo, omnium Angelorum hominumq; Reginam & Dominam, primam totius Ecclesiæ Christi Advocatam, Religionis meæ Principalem Patronam, Matrem misericordiæ erga peccatores quorum ego sum primus. Toties volo me totum Tibi committere, tradere, donare, mancipare, in cultum, obsequium, laudem, omnemq; amorem, & toto corde acclamare.

Vivat Mater Dei & Virgo MARIA!
Vivat in æterna Prædestinatione sua.
Vivat in Immaculata Conceptione sua.
Vivat in purissima Conceptione Filij Dei.
Vivat in intemerata Virginitate sua.

Vivat

Vivat in Nativitate J. X. Domini noſtri.
Vivat in Compaſſione dilecto Filio ſuo.
Vivat in omnibus gratijs, donis, excellentijs, miſericordijs Maternis erga hominum genus.
Vivat in terra, in Purgatorio, in Cælo, in tempore & in æternitate.

PACTUM GENERALE

O Deus meus, & omnia!

QUotiescunq; hunc actum elicuero, toties volo omni deſiderio, ſublimitate, ſenſu, affectu *SS.* Patris mei Franciſci, nec non omnium filiorum ejus, omnium fidelium & Amatorum tuorum recognoſcere, amare Te Deum ut infinitis titulis meum, mihiq; pro omnibus bonis ſufficientiſſimum. Proinde & nunc pro omnibus momentis.

Adoro, amo, laudo, glorifico benedico Te in omnibus.
Adoro, amo, laudo, glorifico &c. Te cum omnibus.
Adoro, amo, laudo, &c. Te pro omnibus.
Adoro, amo, laudo &c. Te præ omnibus.
Adoro, amo, laudo &c Te Deus meus & omnia toto univerſo humano, Angelico, Mariano.
Iſtudq; Pactum ac omnia conſigno pretioſo Sangvine ac omnibus Theandricis actibus Salvatoris mei JESU Chriſti.

Nota Vero: per hæc aliave Pacta cum Deo inita, fieri lucrativam negotiationem, & modico impendio maximas opes cæleſtes accumulari; neq; enim liberaliſſimus Deus prætendit ut multis illum oremus ſeu laudemus, at potius ut multum [ut ſubtiliter docet V. P. Druzbiccius T. 2. f. 12.] ideſt multo & magno affectu, deſiderio, intenſione, extenſione voluntatis. Proinde utiliſſimum pariter atq; congruum eſt Amatoribus DEI premiſſa Pacta ſeu Conventiones cum Deo ſæpius renovare; nam ſi vg: ſaltem ſemel in hebdomada, vel menſe, vel in anno expreſſe & fervidè innoventur, ab intentione non retractata eiusmodi fructum ac meritum ſortientur, ac ſi frequentiſſime vel continuo elicerentur.

Quod commendatum tibi velim homo Aſcetice.



TRA-

TRACTATUS IV.

De Renovatione Spiritûs

QUam salutaris & fructuosa sit, [cum omnibus tum maximè ad perfectionem status vocatis hominibus] frequens renovatio spiritus, multis docent Spirituales Magistri. Quinimo ipsa ratio dictat & experientia in rebus alijs ostendit, absq; renovatione plurima à statu, decore, vigoreque suo excidere. Proinde frequentius renovantur ædificia, fortalitia, horologia, vestes, vasa, instrumenta, ut sint in bono statu, usu, nitore, firmitate. Quanto potius necessariam inferes renovationem in rebus animæ ac salutis? Licet enim spiritus hominis Religiosi nescio quam sit fervens, attamen veluti ignis maximus, ni sæpe moveatur, sensim minuitur, & demum extingvitur: sic ille ni sæpius moveatur, excitetur ad meliora, corrigatur, excutiatur, insensibiliter plane tepescet ac deferbescet. Et quid quæso sentiendum de spiritu hominis tepidi ac imperfecti? Renovationem istiusmodi adumbratam habemus in Encænijs seu festo Renovationum, quod anniversariâ Solemnitate recolebatur Jerosolimis, ut innuitur. Joa: 10. *Facta sunt Encania Ierosolymis.* supra quam Evangelistæ relationem pulcherrimum & Asceticum cogitatum habuit. Abbas Didacus Nissen: *con: fer. 4. post Dom. 5. Quadrag.* Non

mirarer [iniquit:] si in Ægypto ubi sunt tenebræ, si in Babylone ubi confusio, sed cur Encænia, seu renovationes Jerosolymis? non mirare; nulla enim talis Jerusalem, nulla anima tam sancta, quæ nihil habeat innovandum, purgandum & perficiendum.

Porro Renovatio Spiritus nihil aliud sonat apud Ascetas, nisi frequentem reflexionem super actiones suas, & recollectionem earum in animo, quæ ad hoc ordinatur, ut lustratis diligenter cogitatis, verbis actisq; suis, quid quid in illis devium, & imperfectum advertitur, congrue castigetur, dolore ac pænitentiâ eluatur, emendatio seria in animo concipiatur, & opere impleatur, sicq; omnis deordinatio facta in anima, ad orbitam rationis, Regulæ ac amoris Divini reducatur.

Recollectio isthæc à perfectioni studiosis practicatur sive pluries per diem, uti horarie, sive bis quâlibet die, potissimum mane & vespere, & vocatur Examen conscientiæ particulare. Vel etiam annuatim longiori tempore, & vocatur Examen Conscientiæ Generale, sive interim sit circa acta totius anni, sive totiûs vitæ. In nostra Reformata S. P. F. Religione præscribitur & dietim absolvitur, tum mane tum Vespere Examen particulare. Semel vero in anno à singulis omnino Religiosis Examen Generale seu Recollectio spiritus octiduana aut Decemdialis. Pro utriusq; notitia & praxi sit.

CAPUT I.

CAPUT I.

De Recollectione Matutina & Vespertina.

RECollectio mentis Quotidiana juxta usum nostratum tres habet partes, ut pote: Præparationem, Reconciliationem & Conclusionem. Præparatio constat tribus exercitijs seu punctis.

1mum. *est* Adoratio Dei vg: hoc actu. *Credo Domine & procidens in abyssum nihili mei, adoro Te in omnibus operibus Potentiæ, Sapientiæ, Iustitiæ, Misericordiæ tuæ. Adoro te in cælo, in terra, in Purgatorio, in inferno. Adoro te in omnibus hominibus, in SS. Angelis, in Pretiosissima V. Maria, in SS. Humanitate Christi IESU, in admirabili Eucharistiæ Sacramento. Adoro Te in omnibus perfectionibus tuis: in Tua ineffabili Unitate & Trinitate, in Tua incomprehensibili Divinitate.*

2dum. *est* Gratiarum actio vg. hoc actu. *Gratias tibi ago ó liberalissime omnium bonorum largitor pro omnibus beneficijs ex Oceano bonitatis tuæ effusis in omnes Creaturas, & præcipue in SS. Humanitatem Christi IESU. In Pretiosissimam Ejus Matrem. In omnes electos tuos, tam SS. Angelos quam homines. Pro beneficijs effusis in totam Ecclesiam S. in totum hoc Regnum, in totam hanc Regionem, in totam Religionem nostram, in Con-*

ven-

ventûm nostrum. Pro beneficijs effusis in me abjectissimum plasma tuum, tam communibus quam specialibus, idque collatis mihi totâ vitâ, toto hoc anno, mense, die. Præsertim pro his N.N.

3tium. est Imploratio cælestis luminis ad cognoscendas maculas conscientiæ vg: hoc actu. *O lux quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, emitte in cor meum lucis tuæ radium, dispelle tenebras mentis meæ. Responde mihi quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta mea ostende mihi.*

Reconciliatio Tribus constat punctis. *1mum est* Examen conscientiæ, idq; *1mo. De cogitationibus.* Num fuerint vanæ, mundanæ, superbæ; gulosæ, immundæ, iracundæ, murmuratoriæ, sinistre judicativæ, condemnativæ, perversæ, impertinentes statui, Characteri, officio suo. Idq; an frequenter? an per longiorem moram? an cum advertentia? cvm quali earum repulsa, victoria? *2do. De Intentionibus* Num fuerint rectæ, sinceræ, elevatæ ad Deum ejusq; gloriam & honorem? Directæ ad bonum Religionis, utilitatem & charitatem proximorum. Num vero secus' vg: perversæ, tepidæ, inconstantes, vanæ, leves, directæ ad sua commoda, desideria, ad favores, respectus, laudes & mercedem ab hominibus? *3tio De Verbis* An fuerint iracunda, punctiva, læsiva, absq; reflexione, cum impetu, furore evomita, superbiam, contemptum, fastum spirantia, indecentia, mendacia, dolosa, calumniosa, adulatoria, cum nimia lingvæ effusione,

one scandalo, turbatione, damno, injuria proximorum deprompta. Idq; quam frequenter? quam reflexe? quam longo tempore? *4to. De Operibus* Num fuerint vana, inutilia, non rectâ intentione, vel absq; ulla exercita? Non juxta statum, ordinem, tempus locum, absq; attentione, devotione, reflexione, modestia, decentia. Contra leges Divinas, & Religiosas. Ex propria tantum voluntate procedentia? Num etiam fors aliqua scandalosa, inverecunda, malitiosa, imprudenter peracta? *5to. De Omissionibus* seu negligentijs vg. devotionum communium vel privatarum absq; justa causa: exercitij in virtutibus, in implendis bonis propositis, inspirationibus Divinis: in exequendis mandatis doctrinis, consilijs superiorum: in lucrandis Indulgentijs, in exhibendis obsequijs Conventus, vel ex officio vel ex charitate debitis. In absolvendis examinibus conscientiæ circa suos defectus vitia, passiones, & pænitentias pro illis.

Hoc ipso modo poteris lustrare conscientiam tuam ante Confessionem Sacramentalem, attendendo singulariter ad defectus & vitia inveterata & inolita, in quæ frequentius & quasi ex usu tibi labi contingit, ut ea castigare possis & extirpare.

2dum. est Dolor de peccatis qui in Religioso homine non qualis qualis esse deberet sed intimus, serius, conceptusq; ex motivo summæ Dignitatis, Sanctitatis, Bonitatisq; Divinæ, qui vocatur Contritio seu dolor perfectus, qui tantam vim habet, ut etiam extra Sacramentum pænitentiæ, ju-

ſtificet & emundet conſcientiam à peccatis, modo ſit conjunctus cum voto ſerio ejusdem Sacramenti opportuno tempore ſuſcipiendi. Poteſt vero elici Contritio vg. tali formâ. *Doleo, ſuperdoleo toto corde, Digniſſime Deus meus de omnibus peccatis meis. amore, pretio, æſtimatione tui, ob læſam & contemptam à me infinitam Sanctitatem, Bonitatem & charitatem tuam. Confundor & erubeſco in conſpectu tuo de omnibus iniquitatibus meis, eusq́ in æternum deteſtor execror, ejuro coram te. Utinam eas deteſter & odiam illo ſancto odio quod in corde tuo Divino reſidet adverſun mea omniumq́ peccata. Da ut plus te non offendam, da ut amplius, ampliusq́ doleam.*

3tium. eſt Propoſitum emendationis & ſatisfactionis, quod debet tendere *1mo.* & quidem neceſſario ad fugienda omnia & ſingula peccata mortalia. *2do.* Ad cavenda ſingula peccata venialia, nam omnia evitari abſq; ſpeciali dono haud poſſunt. *3tio.* Ad cavendas proximas occaſiones peccatorum. *4to.* Ad vitia inolita, inhabituata. *5to.* Ad proprium amorem, judicium, voluntatem abnegandam & mortificandam. Et poteſt formari vg. hoc actu. *Domine Deus meus, cui non ſunt abſcondita mendacia & perjuria mea coram te, agnoſco dignum eſſe ut qui te offendi reconciliem, qui erravi emendem. Ideo amore tui propono firmiſſime, præterita peccata eorumq́ occaſiones vitare, vitia hæc potiſſimum, N.N. eradicare, amorem, judicium, voluntatem propriam vincere, & te ſummum*

bonum

bonum meum de cætero non offendere, sed placare. Consigna Domine hoc velle meum, Sangvine, Vulneribus Redemptoris mei, ac Filij tui IESU Christi.

Hujusmodi vero Proposita tunc erunt sincera, Deo placita, & homini salutaria, si non solum mente & corde eliciantur, sed operibus pænitentiæ, mortificationis confirmentur. Unde boni & timorati Religiosi, mox ut aliquos defectus notabiles in Examine agnoverint, ingressi Cellulam eos castigant, uti orando prostratim in terra, lingva pavimentum verrendo, disciplinam sibi adhibendo, diu stando, genuflectendo, manus elevatas tenendo &c.

Conclusio Recollectionis tribus constat punctis *1mum est* Petitio variarum gratiarum & donorum salutarium à Deo. vg. hac formâ *Domine Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire mihi quæso peccatorum veniam & odium, virtutis amorem & studium, in bono constantiam, Regulæ observantiam, in fide & gratia perseverantiam, & illa omnia dona quibus Tibi placere & ad Te ultimum finem valeam pervenire. Largire eadem toti Ecclesiæ tuæ, toti Religioni, Conventui nostro, omnibus Benefactoribus, Confratribus & amicis nostris per infinitam pietatem tuam.*

2dum. est Oblatio, vg. hac formâ *Tibi Altissime Domine, totâ prostratione cordis mei offero omnia, si qua sunt bona opera mea, omnes actus pios tibiq; placitos omnium SS. Angelorum & hominum, omnia Sacrificia Ecclesiæ, & omne quid*

quid tua Maiestate dignum in me vel in alijs creaturis esse potest, specialiter offero tibi hoc.

3tium. Commendatio sui Christo Domino, Ejus Matri *SSmæ*, *S.* Angelo Custodi, *SS.* Patronis. vg: hac forma. *O Salvator mi Dulcissime, Tibi me hodie totum committo, cui me totum debeo. In vulneribus tuis absconde me, tuere me ab omni periculo animæ & corporis. In tuam Maternam protectionem proijcio me ô Virgo Deipara, habe me pro filio tuo, monstra Te mihi esse Matrem, Tutricem & Patronam. S. Angele in custodiam mihi deputate, custodi, rege, defende illumina pupillum tuum, & in manibus tuis porta me, ne cadam, ne demergar in quodcunq; peccatum. SS. Dei omnes, præsertim vos electi & dilecti Patroni mei juvate me, orate pro me, implorate mihi Clementiam Dei.*

Tandem salutariter potest visitari adorariq; *SS.* Eucharistiæ Sacramentum & Communio spiritualis peragi, juxta modum supra porrectum *Tract.* 2. Appendice *2da*, hic vero sit.

APPENDIX
De Recollectione Horariâ.

MUlti Servi Dei amantes puritatem conscientiæ, piam habent consvetudinem quâlibet horâ diei lustrare animum, & recolligere, in quo hâc horâ deviaverint. Tu quoq; si eos imitari volueris, potes vel ad pulsum singularum horarum

diei,

diei, vel ante ſingulas Horas Canonicas Recollectionem ejusmodi inſtituere, absq; magno labore & breviſſimo tempore cujus tale ſchemma habeto. Converte te animo ad 5. Vulnera Chriſti, & ad 1mum. dic in corde: *Deo gratias.* Ad 2dum. *Illumina Domine faciem tuam ſuper ſervum tuum.* Ad 3tium. Luſtra quid & qualiter hâc præcedenti horâ devij imperfecti geſſeris Ad 4tum dic in corde: *Peccavi Domino, Deus propitius eſto peccatori. Ad 5tum.* Lateris Chriſti, dic in corde. *Iam amplius nolo peccare, conſigno hoc propoſitum illo pretioſo ſangvine, quem ex vulnerato corde tuo, amore mei ô bone IESU effudiſti.*

CAPUT II.

De Recollectione Annua.

RECollectio annua eſt magnum quoddam vivumq; ſpeculum Religioſæ mentis, in quo tum maculas animi quas contraxit ſolerter advertere poteſt, ut eas pænitentiæ lacrymis abſtergat, tum bonorum operum lucra, profectusq; ſui augmenta recenſere valet, ut pro ijs omnium bonorum Authori Deo, intimas & humillimas grates rependat. Geminum namq; hunc finem in ſua Recollectione intendere ac reſpicere debet Aſceta, nempe ut Deum ſibi reconciliet, ac pro ſuis peccatis deprecetur, & pro donis ab Ejus bonitate ſibi collatis, illum benedicat, & debitam gratitudinem conteſtetur.

Porro

Porro ut hoc ſalutare Exercitium recolligendi ſpiritum congruâ ratione, modo ac ordine peragatur, debent notari ac obſervari ſequentes regulæ.

1ma. eſt Ut iſthæc Recollectio libenti pariter ac magno animo ſuſcipiatur, tanquam maximi momenti occupatio, à qua non modicum dependet vitæ tuæ emendatio, ſalutis aſſecuratio & Dei glorificatio. Proinde tractanda & peragenda eſt ut negotium graviſſimum, quod totum hominem exigit, reſcindendæ curæ temporales, ſolitudo Cellæ petenda, ſilentium arctiſſimum ſervandum eſt, ad eum fere modum quo negotiator avarus, dum ſuæ fortunæ deceſſus vel augmenta ſollicite inveſtigare cupit, totus ratiocinijs incumbit, ſocietatem tumultumq; fugit, & quid ſibi deceſſerit vel acceſſerit contemplatur.

2da. Toto Recollectionis tempore Divinum Officium, Miſſa, aliæq; conſvetæ ſpirituales occupationes, quâ fieri poteſt tractandæ ſunt cum fixa attentione, elevatâ intentione, affectuoſa Spiritûs devotione, & omni perfectione, ut ſi fors alijs temporibus deceſſit nobis de diligentia & merito, Divinæ vero Majeſtati de debito à nobis, amoris gloriæq; tributo, hoc ſaltem tempore quoquomodo recompenſetur. Et hoc eſt redimere tempus juxta Apoſt. Eph. 5. & talenta nobis à Domino credita reddere cum uſuris.

3tia. Tota hæc Recollectio commode poteſt abſolvi ſpatio, octo dierum, vel ſi alicui placet de-

cem

tem dierum, ita ut cuilibet diei certum ſpirituale exercitium determinetur, & ſingulis horis peragatur. Porro juxta uſum & commodum noſtræ Religionis, cujuslibet diei poteſt eſſe hujusmodi repartitio. 1. Abſoluto Examine Matutino. 2. Abſolvenda in Choro Prima & Tertia Canonica. 3. Sacrum audiendum, vel celebrandum præmiſſa devota præparatione. 4. Gratiæ Deo ferventer agendæ 5. Meditatio *1ma.* de Paſſione D. inſtituenda. 6. Legatur aliquid in materia ſpirituali 7. Meditatio *2da.* inſtituenda ut in loco eſt. 8. Sexta & nona abſolvenda. 9. Summendum prandium. 10. Hoc finito gratijs actis in choro viſitandum SS. Sacramentum ut cibus cordis, ac ſpiritualis Communio facienda, poſtea parum quieſcendum ad Primam. 11. Ab hora *1ma.* ad *2dam.* Meditatio *1ma.* ut in loco inſtituenda. 12. Veſperæ dicendæ. 14. à Tertia ad *4tam* Recollectio ſeu Reflexio illius diei facienda, ſi quæ dictamina ſpiritus hauries, vel propoſita ſalutaria, ſcriptotenus annotanda. 15. Completorium & Meditatio *2da* communis alijs inſtituenda. 16. Cæna frugaliter ſummenda. 17. Diſciplina productior infligenda. Tum preces fundendæ ut infra ſuis locis notatur. Vel Corona B. V. M aut pars Roſarij dicenda. Vel Via crucis Chr. recolenda. 18. Examen conſcientiæ Veſpertinum abſolvendum. Actus ex ſcalis ut ſup: Pactorum eliciantur, & actis Deo gratijs pro tranſacto die, ſomnus capiendus.

4ta. Pro obtinenda Indulgentia Plenaria, talem

lem Recollectionem facientibus, concessa à Paulo V. An: D. 1606. Die 21. Maij, & specialiter nobis FF. Minoribus ab Alexand. VII. A. D. 1659. D. 1. Jun: Confessio generalis vel annua omnium peccatorum ad finem Recollectionis est facienda, Demum concepta dictamina spiritus & pia proposita relegenda & servanda in scripto quam reconditissime, ac saltem semel in mense revidenda, ut cognoscamus, an sint effectuata nec ne?

5ta. Finitâ hâc Recollectione caveatur festina præmatura & nimia extroversio [cui occasionem dare studiose hostis animæ procurat] ne per eam spiritus collectus dissipetur, & inflammatus mox tepescat, insultetq; fors dæmon: Laborastis multum & intulistis parum.

DIES I.

Exercitia Antemeridiana.

1. DE Mane Meditatio *1ma.* de Passione Domini si non est præmissa post Matutinum, instituenda.

2 Lectio Spiritualis per justum tempus ex aliquo Authore qui erit ad manum, potissimum ex satis obvio Thomæ de Kemp: lib, de Imit. Chr. instituatur, idq; hâc die legatur attente ex Lib 3. cap. 1. 2. 3. & 9. cum Oratione quæ ibi ad finem est posita.

3. ME-

3. MEDITATIO I.
De Fine hominis.

PRÆLUDIUM I. ELeva mentem ad Deum & auſculta loquentem ad Cor tuum. *Ego ſum Alpha & Omega Apoc.* 22. *Ego ſum principium qui & loquor vobis* Joan: 8. & reſponde ei in corde: *Credo Domine & procidens adoro Te.*

PRÆLUDIUM II. Obſecra ferventiſſime Deum, ut hanc veritatem cordi tuo imprimat; & principio ac fini Recollectionis tuæ benedicat.

PUNCTUM I. VEritas veritatum eſt, quod dixit Propheta. Prov 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Non indigens ſane ullius creaturæ obſequio, cum ſibi ſit ſufficientiſſimus, ſed Potentiam ſuam exercens, ſapientiam oſtendens, & communicativam ſuam Bonitatem effundens. Omnia igitur quæ Deus in univerſo jam condidit, quæ condenda decrevit, & quæ poſſibilia cognoſcit, hoc principium, cauſam & Authorem habent, hunc ultimum finem ſuæ creationis agnoſcere debent, nempe infinitæ Majeſtatis, Dignitatis, Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis omniſq; cogitabilis Perfectionis Numen. Exindeq; lætari & gratulari ſibi poſſunt quod tanti ſolis ſunt umbræ, tanti æquoris ſunt ſtillæ, tanti Patris ſunt Filij, tam Optimi, Maximi Dei ſunt creaturæ.

PUNCTUM II. IN creatione aliarum rerum effusa Divina Bonitas, majori incomparabiliter charitate effudit se in condendo homine, tanquam in summa & compendio omnis creaturæ. Creavit solem & stellas quæ moventur sed non vivunt: arbores, flores, herbas, quæ vivunt sed non sentiunt: creavit bestias quæ sentiunt, sed non intelligunt: creavit hominem qui movetur, vivit, sentit, intelligit, & invisibilia quoq; naturæ ac Dei cognoscit. Et ut dixit *S. Greg:* Habet commune esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Idcirco omnis creaturæ nomine homo potest intelligi, & Microcosmus seu parvus mundus appellari. Et hac de causa post omnes alias creaturas hominem Deus condidit, ut sit quasi novissimus, quasi totius operis summa, quasi causa mundi propter quem facta sunt omnia, quasi omnium elementorum habitator, ut notat *S. Ambr: S. 10. in Psalm: 118.*

PUNCTUM III. CReavit Deus hominem absq; ullo merito, dedit illi vitam ex oris sui spiraculo, adornavit massam luti informem, mente Angelis fecit parem, loquelæ usu ditavit, erecto ad Cælos corpore fecit, & quod super omnia æstimari meretur, fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam, id quod non concessum est brutis, quod non dictum est de Angelis. Opus solius Dei es homo' totius adorandæ Trinitatis negotium, imago summæ Essentiæ, summæ

mæ Bonitatis, Pulchritudinis Sanctitatis. Membrum es non alterius capitis nisi Christi Filij Dei: subditus es non alij Domino vel Judici nisi Deo: hæres Dei destinatus es, cohæres Christi. Pupillus es! Tutorem habes Deum, qui te protegit, qui gratiose conservat.

Reflexio Omnia creata ad suum principium recurrunt, ad suum finem tendunt, ad suum centrum violenter moventur. Tuum principium supremum, tuus finis altissimus, tuum ultimum centrum ô homo, nunquid non Deus solus est? Deus tibi præ cæteris affectissimus, in te prodigus, tui amantissimus, qui memoriam ejus ab æterno occupas, & svavissimam illius Providentiam continuo experiris. At quomodo ad hoc centrum cordis tui raperis? quomodo illi per intimam charitatem adhæres? Examina te quot momenta & horæ, quot dies & anni in vita tua decurrerint, in quibus à Deo tuo prorsus fuisti alienus? elongatus ab illo per peccata, abreptus ad vanas sæculi curas, ad sensuum commoda & spurcas voluptates, ad captandam humani favoris auram, immemor plane tui & DEI, immemor debiti cultus, obedientiæ, charitatis? toties; miser factus quoties à Deo fueras separatus. Dole & deplora gementer aversiones tuas à Deo. Agnosce te vixisse ut bestiam Dei ignaram. Et deinceps omnibus intentionibus, actionibus tuis tende in Deum, in ejus amorem, gloriam & honorem. Elice actus fidei, adorationis Dei tui.

Exercitia Pomeridiana

MEDITATIO II

De obligatione hominis erga Deum ratione beneficij Creationis.

PRÆLUDIUM I. ELeva mentem ad Deum' loquentem ad cor tuum Malach. ca: 1. *Si ergo Pater ego sum? ubi est amor meus? & si Dominus ego sum? ubi est timor meus?*

PRÆLUDIUM II. OBsecra Deum pro lumine, ut profundius cognoscas, qualis sit ille Pater? qualis & Dominus?

PUNCTUM I. INter omnia quæ exigit à te Deus ut Creator & Pater, est amor ejus: quæ requirit à te Deus uti supremus Dominus, est timor ejus, quod & alibi expressit. Deutor. 10. *Et nunc quid Dominus Deus petit à te, nisi ut timeas Dominum tuum, & diligas eum in toto corde tuo, & in tota anima tua?* Duplex hoc tributum & si nunquam Deus exigeret, ipsa natura à cordibus nostris extorquere deberet. Nunquid enim ô homo! ô rationale animal! inferior aut insensibilior es brutis? vg: avibus, ovibus ac suibus? interim vides, quod pullus ovo exclusus mox se se fovet sub alis gallinæ, sequitur illam,

lam, amat illam, timet illam. Idem facit Agnellus idem vel Porcellus Matri suæ. O quam incomparabiliter fortiorem impulsum, fortius vinculum in corde suo habet homo ut amet Deum, verius suum quam aliarum creaturarum Patrem, ad cujus imaginem & similitudinem conditus est? Ut timeat Deum, verius suum quam aliarum rerum Dominum, cui soli subjectus est, & à quo plus omnibus creaturis recipit pro exiguo servitio suo?

PUNCTUM II. HUmani Patres & Matres, qui nos mundo generant, & in lucem brevissimi temporis educunt, qui nos alunt, fovent. vestiunt, ditant, non de propria sed Divina Providentia, quam magnum à suis prolibus exigunt amorem, solatium, honorem, obsequium? Quam magnam authoritatem & dominium exercent? quod se eousq; extendit, ut possint filios percutere, exhæreditare, & in necessitate constituti valeant filium vendere. Et quid sunt Parentes nostri temporales, Deo, Patri increato, infinito, Domino Altissimo & absolutissimo comparati? cujus Potentiâ subsistimus, Sapientiâ gubernamur, inexhaustâ Providentiâ in anima & in corpore nutrimur, vestimur, & delicatissime fovemur? à quo usq; ad delicias amamur? O quantum amorem, gratitudinem, devotionem Deo & Patri omnium? quantum timorem, cultum, servitium obedientiam, subjectionem debemus supremo Domino nostro? qui pios erga se filios & fideles

ſervos æternaliter beat ac præmiat, qui impios & rebelles æternaliter damnat & cruciat.

PUNCTUM III. Quam ſtupendum, quam probroſum ſit quod Deus, Creator, Pater & Dominus noſter, qui nobis infundit rationalem animam, amandiq; ac timendi ſe ex naturâ capacem, toties præcepto expreſſo obſtringit nos ut eum ex toto corde ex tota anima, ex totis viribus amemus? tot minis gravibusq; pœnis extorquet à nobis debitum ſui timorem. Niſi quod videat mentis noſtræ cæcitatem, cordis noſtri duritiem, ingratitudinem in filijs, ſuis rebellionem in ſubditis. Et adhuc fingimus laborem in præcepto, ad quod implendum ipſa nos impellit natura, provocant innumera beneficia: non veremur Deum, Dominum vitæ & necis, licet tot percuſſionibus attriti, libentiusq; minantem offendimus, quam iratum placamus.

Reflexio. Potes quidem dicere aliquando: Non poſſum jejunare, quia corpus habeo debile, non poſſum eleemoſinas dare, quia pauper ſum, nunquam tamen potes in veritate dicere: Non poſſum Deum amare & timere, cum te ideo condiderit, ut illum ames & timeas. Vide tamen an & quam frequenter, quam conſtanter amor Dei verſetur in corde tuo? an te penetret timor Dei? Num aliquando ut liberius peccares, ut voluptati indulgeres, amorem timoremq; Dei ex mente tua non excluſiſti?

Mirare deteriorem beſtijs tuam veſaniam & duritiem, confitere & dole, quod tam ſvave tri-

butum Patri Dominoq; tuo supremo subtraxeris, ora Deum ut ignem sui amoris in corde tuo re-accendat, & sanctum sui timorem animo tuo imprimat. Elice actus amoris timorisq; Domini pro omnibus illis momentis, horis, diebus quibus hoc omisisti.

Recollectio de Charitate.

PRæceptum de Charitate Dei, inseparabiliter connexùm est præcepto de charitate proximi, cum charitas sit Virtus quâ Deus propter se, & proximus diligitur propter Deum. Examina igitur conscientiam. *1mo.* Quantum defecisti in amore erga Deum? Quam oscitanter, frigide Deum amasti? Quam desidioso servitio beneficia à Deo accepta rependisti? Quam tardus ad implenda præcepta, ad arripienda consilia, ad acceptandas ejus influentias fuisti? Quomodo non filiali propter Deum ipsum, sed mercenario amore propter mercedem, Deum dilexisti; Quot heroica opera amore Dei vg: hoc anno fecisti? Quanto cum amore ad Deum in Eucharistiæ Sacramento accessisti? Quam multoties Deum ipsismet beneficijs ejus offendisti? An non extinxisti in te amorem Dei aliquo peccato mortali?

2do. Erga proximum. An illum vere sicut te dilexisti. Bona toto affectu apprecando: in necessitate, ope, consilio, osequio pro posse subveniendo: miserijs ejus condolendo, de prosperitate læ-

tando:

tando: voluntarie non offendendo, non traducendo, non irridendo, injurias & offensas condonando, bonis exemplis prælucendo. Num forte? Et quidquid saltem graviter devium charitati Dei vel proximi adverteris annota, & emendare propone.

Post Completorium Meditatio *3da* communis instituatur. Hâc die demum commodo tempore de vespere. Preces funde pro Exaltatione *S.* R. Ecclesiæ quomodo velis, mentaliter aut vocaliter. Ante somnum institue Communionem *S*piritualem visitando *SS.* *S*acramentum Ad extremum, Pacta fidei & actus scalæ *1ma* ut habentur supra Tract. III. sub Cap: 2. Et actis Deo gratijs pro doctrinis quas excepisti, pro dictaminibus quæ fors hausisti intentione surgendi ad laudandum Deum somnum cape.

DIES II.

Exercitia Antemeridiana.

1. PRæmissa Meditatione de Passione Christi. Lectio *S*piritualis instituatur vg. ex V. Thoma Kemp. lib. 2. cap. 2. 3. 4.

2. *MEDITATIO*

De Fine hominis Christiani.

PRÆLUDIUM 1 AUdi præconem Christi *S.* Paulum dicentem. Coloss. 2. *Sicut ergo accepistis IESUM Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso.*

PRÆ-

PRÆLUDIUM 2. ASpira ad Deum ut valeas istam doctrinam Apostolicam salutariter intelligere.

PUNCTUM I. ET si homo vi solius creationis suæ à Deo, indispensabiliter sit obstrictus, ut ad Deum tanquam plasma ad suum Creatorem, tanquam rivus ad fontem, tanquam opus ad suum finem tendat, tanquam Patrem amet, tanquam Dominum timeat, & per hoc salvus beatusq; fiat. Cæterum quâ homo Christianus, in sortem Christi vocatus, ejus nomine insignitus, ejus doctrînâ imbutus, ejus exemplis provocatus, ejus Passione redemptus ejus Sangvine emundatus, debet specialem habere finem, quem respicere, quem contingere annitatur. Accipit homo Christum JESUM in baptismo, suscipit illum ut Ducem & Magistrum, cujus doctrinam fidemq; sectetur, cujus vestigia sequatur. Ecce hunc finem debet sibi proponere, hunc in actionibus suis, respicere, ut ambulet in Christo Domino!

PUNCTUM II. IN lege naturæ nonnullis SS. Patriarchis Deus imperabat ut ambularent cum eo vel coram eo, & sic perfecti evaderent. Sic Gen. 5. *Ambulavit Enoch cum Deo*, & transtulit eum in Paradisum. Gen. 6. *Noe vir justus atq; perfectus ambulavit cum Deo.* Gen: 17. dictum est Abraham. *Ambula coram me & esto perfectus.* Jam nunc in lege gratiæ nobis

 dicitur,

dicitur, ut in Deo Incarnato, in JESU Christo Domino nostro ambulemus: *in ipso ambulate* nimirum! quia de illo prænuntiavit Propheta. Is. 30. *Et erunt oculi tui videntes præceptorum tuum, hæc est via, ambulate in ea!* Id ipsum confirmavit Christus D. Joan: 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita nemo venit ad Patrem nisi per me:* & ore S. Bernardi se explicat. Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Ego sum via per quam est eundum & veritas ad quam veniendum, & vita in qua permanendum. In hac igitur via ambulare debes ô Christiane, in semitis ejus incedere, idest in ejus doctrinis Sanctis, in vivis exemplis. Ne aberrares ab hac via, signavit illam pretioso Sangvine suo; nam ut docet S. Petrus. 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

PUNCTUM III. AD hoc tendit tota in hoc exilio peregrinatio nostra, ut passibus bonorum operum præsertim amoris timorisq; Divini, perveniamus ad Patrem qui nos creavit, qui nos gratiose conservat, ut attingamus in æterna beatitudine Deum nostrum. Sed attende quid dicit Christus: *Ego sum via, nemo venit ad Patrem nisi per me*, quasi diceret: non per illam viam quæ videtur homini recta, & novissima ejus deducunt ad mortem. *Prov 16.* Non per viam spatiosam quæ deducit ad perditionem, qualis via est in qua stant peccatores. Via iniquitatis,

tatis, via perversitatis, via luxuriæ, avaritiæ, superbiæ aliorumq; vitiorum nam hæ viæ, ideſt hic processus ac tenor vivendi, non eſt hominis Christiani, ad veram fidem vocati, ſed hominis gentilis, profani, fide carentis legem Divinam ignorantis, Judicium DEI non attendentis, infernum non credentis, æternam beatitudinem non curantis.

Reflexio. Quoties dixit ad cor tuum Christus JESUS: Veni! ſequere me! quoties viam mandatorum, ſemitas conſiliorum ſuorum oculis mentis tuæ propoſuit, demonſtravit? quoties ab hac, illa via iniquitatis revocare te voluit? quoties viâ justitiæ, humilitatis, obedientiæ, caſtitatis te incedere voluitj? Interim an has vias ſalutis trivisti? an non magis ambulaſti vias dificiles peccatorum? in quibus lumen juſtitiæ non illuxit tibi! & ſol intelligentiæ non eſt ortus tibi. An non laſſatus es in via iniquitatis, perditionis & viam Domini [quæ Christus eſt] ignoraſti? rebellando cæleſti lumini, inſpirationibus Divinis, monitis humanis, pudori & honeſtati, eundo poſt deſideria carnis, ſequendo propriam voluntatem, & alias paſſiones infrænatas, quæ te in tot abrupta ſcelerum perduxerunt, in pericula damnationis pertraxerunt? Num fors hucusq; in iſtis devijs itineribus, carnis & mundi pervicaciter non perſtas? & illas decurris ut pereas per eas, non illam quæ de ſe dicit: *Ego ſum via!* Revertere ſaltem nunc ad hanc viam, ſequere Chriſti vitam ſanctiſſimam, puriſſimam &c. Ora Christum JESUM ferventiſſime, ut convertatur ad te & convertaris ad eum.

Exer-

Exercitia Pomeridiana

MEDITATIO

De obligatione hominis erga Deum ratione beneficij Redemptionis.

PRÆLUDIUM I. IMaginare tibi S. Petrum Apoſtolum prædicantem: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſangvine quaſi Agni immaculati Chriſti* 1. Petr. 1.

PRÆLUDIUM II. OBſecra JESUM Redemptorem tuum ut poſſis agnoſcere, quam copioſa fuerit illius redemptio.

PUNCTUM I. DEUS omnia ſolo voluntatis ſuæ nutu creavit absq; labore & expenſa; conſervat omnia absq; turbatione vel deceſſu theſaurorum ſuorum, ſed pro redemptione hominis è ſinu ſuo miſit Filium dilectionis ſuæ, per omnia ſibi coæqualem, per omnia ſanctum & beatum. Univit illius Perſonæ non puriſſimam naturam Angelicam, ſed naturam humanam; non enim apprehendit Angelos ſed ſemen Abrahæ. *Hæbr.* 2. naturam in primo Parente peccatô [quo nihil eſt Deo indignius & deteſtabilius] vitiatam, naturam è luto plasmatam, fæcibúsq; ſcatentem totam. Quæ duo magis contraria dari

poſſunt;

possunt, quam Deus & peccator? & quæ duo arcti-us nunc sunt combinata, quam Deus & homo? Non est quidquam Deo sublimius [ait *S.* Bern] & non est vilius quidquam luto, ex quo homo formatus est. Nihilominus ut redimeretur homo, Filius Dei & factus est homo, & formam luti accepit, & formam in se assumplit peccatoris.

PUNCTUM II. AN non satis hoc erat redemptioni nostræ, ut Filius Dei homo fieret, ut Divinam Justitiam aliquo unico actu vg. amoris aut humilitatis placaret humano generi? *Satis* hoc profecto erat nostræ saluti ac redemptioni, sed non satis Christi amori, de quo prædixit Isaias. c. 63. *In dilectione sua, & indulgentia sua redemit nos* Idcirco ut me summâ dilectione redimeret omnes in se miserias assumpsit. Natus in stabulo ut pauper, circumcisus ut nocens, exul in Ægypto ut perduellis. Amore mei jejunavit, vigilavit, sudavit & alsit, injurias, calumnias, persecutiones, contradictiones sustinuit. Propter me nefarie proditus, captus, à suis relictus, venditus negatus, alapis cæsus, consputus, illusus, flagellatus, spinis coronatus, repletus opprobrijs, inter sceleratos deputatus, crucis patibulo oneratus, affixus, dire confixus, ignominiosa morte mulctatus, blasphemijs in corde, lanceâ in latere vulneratus.

PUNCTUM III. ET quorsum hæc tanta, laborum, dolorum, honoris, famæ, *Sangvinis*, vitæ Christi JESU impensa? quorsum

ſum hæc tam copioſa apud Deum redemptio ſpectabat & ſpectat? quantam retributionem à nobis exigit? quantam redamationem vel à duris cordibus extorquet? *Si* enim amare JESUM pigebat, ſaltim redamare non pigeat. Effudit ſe totum Dei Filius, ut viliſſima mancipia, ut ſervos pænæ æternæ, ut ſibi ipſi rebelles ſubditos, redimeret, liberaret, in gratiam reciperet, in Filios Dei, in cohæredes ſuos aſſereret. Cur quæſo: niſi ut nos totos haberet ad amorem reciprocum, ad fidele ſervitium, ad laudem gratitudinem, ad imitationem ſui? ut agnoſcebat *S. Bern:* *Si totum me tibi debeo pro me facto, totum me iterum debeo pro me refecto & ſic refecto!*

Reflexio. *Si* fores ſub jugo Tyranni ſæviſſimi innocens mancipium, an non deberes Liberatori tuo omnem ſubſtantiam pro redemptione tui effundenti, an inquam non deberes, amorem fidelitatem, obſequium & continuum quidem ac perpetuum? Nocens eras mancipium Tyranni infernalis, & eo magis reum ſervitutis ac pænæ, quia voluntarium. Ecce te redemit de manu inimici, de poteſtate Tyranni hujus Dei Filius! profudit in tui redemptionem labores 33. annorum, prodegit famam honoremq; ſuum, expoſuit Corpus ad immanes cruciatus, animam ad mærores & dolores, poſuit deniq; pretioſiſſimam vitam in Cruce? Quid ultra pro te dare potuit? an non totum ſe dedit pro te? Quæ tu pro tanto impendio retribuis amantiſſimo Redemptori tuo? an reddis amorem pro

amore,

amore, gratiam pro gratia? Vide an non retribuisti mala pro bonis, & odium pro dilectione ejus? Vide an memor sis tantæ redemptionis tuæ? an non forte vilipendis? cum toties venundatus es peccato? toties servitutem diaboli voluntarie, temerarie suscepisti. Ah redi rursum ad JESUM Redemptorem qui te vocat: *Revertere ad me, quia redemi te.* Isa: 44. qui te ex pansis in cruce brachijs expectat, aversare omne peccatum, alliga te JESU tuo, indissolubili vinculo charitatis, & dic in corde. *Tu es Domine adjutor meus & Redemptor meus. &c.*

Recollectio de Cultu Dei.

Virtus quæ nos inclinat ad debitum cultum Deo deferendum, Religio vocatur. Examina itaq; conscientiam, an in hac virtute non defeceris? Et perpende 1. Quanta in te fuerit Deo ac Divinorum æstimatio? 2. An semper adoras Deum in spiritu & veritate, non sicut illi de quibus dixit Deus. Is. 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* 3. An cum viva fide. & profunda humilitate adoras Deum præsentem in *SS.* Sacramento? 4. An attendis & revereris præsentiam Dei in omnibus actionibus tuis? 5. Quomodo laudas & oras Deum tuum, an non segniter, oscitanter, perfunctorie, fraudulenter? 6. An Sacramenta devote, reverenter,

tractas, suscipis, administras? 7. An Ecclesiam quæ est Domus Dei non profanasti aliquando, nugis, jocis, sacrilegiijs. 8. An Reliquijs sacris, Altaribus, Imaginibus *SS.* aliquem dishonorem non infers? 9. An *S. Scripturam* quæ est Verbum Dei, doctrinas, Ritus Ecclesiæ non contemnis, non irrides? 10. Vide ne in cultu veri Altissimi Dei superent te Catholicum aliqui infideles? Quid quid devium Religioni erga Deum adverteris, annota, & emendare propone.

Post Completorium Meditatio *2da.* Communis peragatur. Preces fundendæ pro *S.* Religionis Propagatione, & cætera ut *1ma* die absolvenda. Pacta Scalæ 2dæ.

DIES III.

Exercitia Antemeridiana.

1. PRæmissa Meditatione de Passione Domini. Lectio spiritualis instituenda vg: ex Th. de Kemp: lib: 1. c. 17. 18. 19. & 20.

MEDITATIO

De Fine Hominis Religiosi.

PRÆLUDIUM I. INclina aures cordis tui ad illa Verba Apostoli 1. Tim. 1. *Vocavit nos Deus vocatione suâ sanctâ, secundum propositum suum & gratia, quæ data est no-*

est nobis in Christo IESU ante tempora sæcularia.

PRÆLUDIUM II. PEte à Deo lumen ut possis cognoscere excellentiam vocationis tuæ ac finem quem per eam Deus intendit.

PUNCTUM I. HAbet suum finem homo, quâ conditus est à Deo ut amet timeatq; suum Creatorem, Patrem ac Dominum. Habet sublimiorem finem homo quâ Christianus, ut ambulet in Christo, non aliamq; sectetur viam & vitam, quam illam quæ de se dicit *Ego sum Via & vita.* Igitur & Religiosus homo, debet specialem & eminentiorem habere finem ad quem tendat. Finis iste colligitur facile ex ipso modo & ordine quo Deus vocat hominem ad serviendum sibi, ad imitandum Christum in *S.* Religione. Vocavit enim unumquemq; Deus vocatione suâ sanctâ, idest ad nostram sanctificationem tendente juxta illud Apostoli. 1. Tess: 2. *Non vocati estis in immunditiam sed in sanctificationem.* Vocavit per gratiam quæ ab æterno intuitu meritorum Christi unicuiq; est præparata estq; gratia specialis concessa paucissimis, est fructus specialis meriti, amoris, orationis Christi pro quolibet ad Religionem vocato.

PUNCTUM II. COnstat profecto exinde, quod Religiosus homo vi suæ vocationis à Deo, debet esse non vulgaris servus

Dei, sed omnibus alijs fidelior, debet esse non rudis & fucata, sed viva imago vitæ Christi: debet esse non solum observator præceptorum, sed etiam consiliorum Christi. Uno verbo: debet tendere ad perfectionem Evangelicam, cum juxta D. Thom: status Religiosus sit tendentia seu via ad perfectionem. Ad quid enim Deus vocandis ad Religionem hominibus singularem gratiam ab æterno præpararet? Ad quid in tempore tot salutares doctrinas, tot lumina cælestia, tot Magistrorum subsidia, tot consodalium bona exempla, tot exercitia spiritualia, tot Sacramentorum usus, tot auxilia supernaturalia ordinaret Personis Religiosis? si satis illis esset ut forent milites gregarij, ut cunq; Deo more sæcularium servientes, & ad majorem illis perfectionem non tendentes?

PUNCTUM III. TRia sunt potissimum quæ perfectionem consequendam impediunt. Amor sui, amor terrenorum & amor carnis. Religiosus itaq; ut gratiæ vocantis Dei respondeat, tenetur, pugnare contra amorem sui per exactam obedientiam, subijciendo & subjugando voluntatem propriam alienæ. Pugnare cum amore seu innata cupiditate terrenorum per altissimam paupertatem, nihil procurando nihil absq; licentia Superiorum retinendo, nihil sibi penitus appropriando, necessarijs quoq; utendo non ut suis, sed alienis. Pugnare cum fortissimo amore carnis per intaminatam castitatem, per heroicam

conti-

continentinm mentis & corporis ab omni delectatione vel opere libidinoso, & ad hunc finem, sensus refrænando, corpus macerando: Et suppressis his tribus amoribus, ad amorem Dei solius ad unionem cum Deo enitendo, in quo substantia & summa perfectionis consistit.

Reflexio. Et si non obligeris Religiose ut omnino & certo perfectus evadas, ita ut nulla tibi contingat imperfectio, obligatus, tamen es ad perfectionem tendere, præcipuè per illa media quæ tibi status tuus dictat, Regula & Constitutiones præscribunt. Tendis ad perfectionem si vota quæ Deo nuncupasti exacte servare curas: si præcepta Regulæ exequi diligenter studes, si Constitutiones item observare non negligis. Vide igitur & non conniventer considera. An non aliquando, an non sæpius forsan prævaricator votorum, transgressor præceptorum, contemptor legum fueris. Si ita? aberras à fine vocationis, devias à perfectione, properas ad viam perditionis; qui enim non proficit deficit. Redi ad cor, æstima melius gratiam vocationis Divinæ ne cum hypocritis condemneris, quia tonsura & habitus Religiosum non faciunt sed vita perfectioni dedita. Annota tibi in quo maxime defeceris, dole coram DEO, & cum ejus auxilio emenda in melius.

Exercitia pomeridiana

MEDITATIO

De obligatione hominis erga Deum pro beneficio Vocationis & Iustificationis.

PRÆLUDIUM I. Attende Magni Doctoris gentium doctrinam Rom 8. *Quos autem prædestinavit hos & vocavit: & quos vocavit illos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

PRÆLUDIUM II. POsce à Deo gratiam ut hanc sublimem doctrinam salutariter possis intelligere.

PUNCTUM I. DEÚS qui pro sua infinita bonitate vult omnes homines salvos fieri, eos quorum merita ab æternò prævidit, prædestinavit ad æternam gloriam, beatitudinem & felicitatem interminabilem: Ad quod bonum obtinendum ab hominibus, singularem gratiam vocationis elargitur, aliquibus ad solam fidem veram & salvificam, aliquibus vero ad *S.* Religionem. Gratiam vocationis Divinæ subsequitur justificatio à peccatis; hanc vero consequitur desideratissima glorificatio in cælis.

Quantum igitur hoc bonum est Divina vocatio? cum sit medium singulare à summa Dei sapi-

entia

entia & bonitate præparatum ad alia nostra bona salutaria, ac deniq; ad supremum bonum æternæ beatitudinis nostræ? quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

PUNCTUM II. JUstificatio nostri à peccatis, quæ fit per gratiam *Spir: Sancti*, ô quam sublime donum est! Quid enim profuisset nobis beneficium Redemptionis, si Justificationis beneficium non fuisset subsecutum, quô mediante virtus Redemptionis Christi, seu effectus illius nobis applicatur. Quoties enim Deus à propriis reatibus nos justificat, quoties per gratiam suam delet peccata nostra, toties Christi merita, Passio ac sangvis ejus in animas nostras effunditur. Porro per istud donum Justificationis non solum delentur peccata nostra, sed insuper homo reconciliatur offenso à se justeq; irato Deo & ad amicitiam ejus revertitur? fit adoptivus Dei filius: fit vivum Christi membrum: fit liber ab æterna pæna, fit hæres Dei & cohæres Christi: fit habitaculum gratissimum totiùs *SS.* Trinitatis. Et sicut per peccatum omnia deploranda mala intrant in animam hominis, ita per gratiam justificantem intrant omnia bona, ita ut homo justificatus possit exultare & dicere. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* Sap: 7.

PUNCTUM III. QUandoquidem hæc duo dona, Vocatio nempe & Justificatio, tam excellentium bonorum fontes nobis

existant, imo prædestinationis nostræ sint potissima signa, ac æternæ glorificationis nostræ sint certissima media. Quantam ô homo debes gratitudinem optimo Deo qui te gratiose vocavit ad fidem Catholicam? ô Religiose qui te vocavit ad hunc in quo degis statum? Quantam debes gratitudinem Miserantissimo Deo, qui te inquinatum peccatis [& fors gravibus & permultis] inimicum sibi, rebellem suæ Majestati, execrabilem Divinis oculis suis, ad pænitentiam excitavit, à peccatis expiavit, à maculis emundavit, in Christi, Sangvine dealbavit, in gratiam recepit, ab æterna pæna liberavit, uno verbo: qui te justificavit, & toties justificavit? Quam sollicitam debes vigilantiam ut vocationi Divinæ, per opera perfectionis, per votorum observantiam, per legum custodiam respondeas? Quantam debes adhibere curam ne semel [maxime in Professione tua quasi in altero baptismo] justificatus, nunquam ad peccati vomitum redeas, sed constanter dicas in corde: *Iustificationem meam quam tenere cæpi non deseram.* Job. c. 7. Quod si vero per fragilitatem aliquando labaris in peccatum non inhære illi, sed redi ad Deum, quantocius expia illud: *Narra si quid habes, ut justificeris.* Is. 46. Nam ex S. Aug: nullus sanctus & justus caret peccato, non tamen ex hoc desinit esse justus & Sanctus, cum affectu teneat Sanctitatem.

Reflexio Vocavit te Deus Optimus non merentem ad statum Religionis sacræ, & quidem non

relaxatæ

relaxatæ sed Reformatæ, & vere Apostolicæ, in qua efficacissima habes media ad hoc ut in Sanctitate & justitia Deo servias omnibus diebus vitæ tuæ? Quomodo hanc gratiam æstimas? quomodo vocationi tuæ correspondes? Vocavit te Deus ad hanc vineam suam ut in ea lebores pro Dei honore, pro tua & proximorum salute, & ad hoc imbuaris scientia rerum spiritualium, exercearis in palæstra virtutum, agas & patiaris multa, defectus extirpes, passiones vincas, Regulam legesq; observes. Vide an hæc strenue exequaris? an sis Religiosus qualem vult te esse Deus? Quod si stas tota die otiosus, time Judicem Deum time Dominum vineæ hujus. Dole de ignavia, & novo fervore dic in corde: *Dixi nunc cæpi!*

Recollectio de Intentione.

INtentio arbor quædam est, quæ si bona est bonos fructus, si mala malos facit. Igitur te examina 1. Si in Religionis ingressu habuisti intentionem rectam serviendi Deo perfectius. Num forte perversam, aut vanam, respicientem proprium commodum? 2. Supposito quod habueris intentionem bonam & rectam, imo ferventem, num tali intentione Deo famularis, qualem ab initio habuisti? 3. Num in tuis actionibus non es excors immemorq; tui, multa absq; intentione bona agendo, vg: laborando, studendo, orando. 4. Si habes frequenter elevatas ad Deum intentiones, tanquam ad ultimum finem tuum. 6. Si depuratas ab omni

quæsi-

quæsitione tui idest tui privati commodi, honoris, applausus humani. 6. *Si* non es fixus & pertinax in vanis, perversis, malis intentionibus exequendis. 7. *Si* erga Deum habere soles intentiones extensas & intensas, volendo. Deum amare, laudare, quam frequentissime, quam ferventissime, quam dignissime &c. *Si* quid respectu intentionum tuarum adverteris devium, frivolum, vanum, inordinatum, emenda, nam hoc Deo est indignum, hoc opera tua facit sterilia, & nullius aut exigui meriti coram DEO. Malas itaq; omnino muta, vanas elimina, ut bonis rectisq; imbuaris, sæpe in tuis actionibus usurpa illud Pactum. Domine Deus propter te! vel illud: *Soli* Deo honor & gloria! *Post completorium* Meditatio *2da.* Communis. Preces fundendæ pro Christianitate, pace & concordia Principum, & reliqua ut *1ma.* die absolvenda. *Pacta Scalæ 2da.*

DIES IV.

Exercitia Antemeridiana.

1. PRæmissa Meditatione de Passione Domini. Lectio *Spiritualis* instituatur vg: ex Thom: kempensi Lib. 1. c. 25. & l. 2. c. 5. 6. & 7.

MEDI-

MEDITATIO
De Conversione hominis ad Deum.

PRÆLUDIUM I. REvoca tibi in memoriam ex Evangelio filium prodigum, & attende dicentem: *Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater mi! peccavi in cælum & coram te. Luc. 15.*

PRÆLUDIUM II. POsce humiliato corde gratiam à Patre cælesti, ut sicuti secutus es filium prodigum aberrantem, ita sequaris revertentem.

PUNCTUM I. QUodlibet peccatum est aversio hominis ab ultimo fine suo, à summo veroq; bono suo, videlicet Domino Deo. Et ô quam stolida aversio, ab eo qui est Deus Vivens & Videns omnia, & cujus oculis nuda sunt & aperta omnia? Quam imprudens fuga & exilium ab eo, qui ubiq; est, & se ipso implet omnia? juxta illud Psal. 138. *Quo ibo à Spiritu tuo & quo à facie fugiam.* Quam malitiosa aversio à Deo, qui nos à se aberrantes & fugientes ipse quærit & sequitur, ut dicitur de sapientia Divina: *Quoniam se ipsa circuit quærens, & in omni providentia occurrit illis Sap. 6.* Amisit Evangelicus Pater filium quem domo suâ dimisit, at non, quæsivit. Prodegit ille substantiam quam à Patre acceperat, pervenit ad ultimam egestatem & penuriam, adeo ut cuperet ventrem suum im-

pleri de siliquis porcorum, audivit hæc forsan Pater, nec tamen requisivit, nec reduxit filium. At Pater noster qui in cælis est, avertentes se ab illius domo, lege, amore, cultu, servitio, ipse ultro quærit, jam submittendo ad corda illorum svaves inspirationes, jam terrendo minis & pænis, jam in funiculis charitatis trahendo illos ad se: jam patienter expectando conversionem illorum juxta illud: *Expectat Dominus ut misereatur vestri.* Is. 30. Eccur ô homo sic trahenti, sic invitanti, sic patienti, sic miseranti Deo non respondes? cur non converteris ad Dominum Deum tuum?

PUNCTUM II. PRodigus filius; post Substantiam dissipatam, post honorem prostitutum, post conscientiam inquinatam, qui magis à se quam à Patre exulabat, in se reversus dixit: Surgam & ibo ad Patrem meum! Occurreret ipsi forsan aliquis & diceret: Quâ fronte, quâ spe, quâ fiducia? At ille responderet: Illâ quâ Pater est, ego amisi quod erat filij, ille quod Patris est non amisit! Dixit, surrexit, & ivit ad Patrem, recepit veniam, accepit dulce osculum, admissus ad amplexum, domum, & mensam?

O homo quæ te causa retardare potest, ne eas ad Patrem suum cælestem? ne convertaris ad Dominum Deum tuum? ne recedas à via iniquitatis & perditionis? Nunquid tu minus spei debes habere in misericordia Patris Cælestis, quam prodigus

digus filius in misericordia Patris terreri. Concipe spem, excute timorem, non reijciet, non puniet te Deus pœnitentem, qui tam longanimiter suffert peccantem. Ecce ille te assecurat: *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua & vivat.* Ezec. 33.

PUNCTUM III. Filius prodigus, in omnia scelera dissolutus, mox ubi limen domûs Paternæ attigit, mox ubi vidit illum Pater, invenit tantam clementiam, tantam gratiam, ut misericordiâ motus Pater ipse accurreret, super collum eius caderet, dulci osculo filium dignaretur, cæteraq; exhiberet, quæ non criminoso & vago, sed dilectissimo ac fideli vix deberentur. Nondum ille miser procidit ad pedes Patris, nondum offensam deprecatus est, nondum confessus est culpam, & sic amanter receptus à Patre, & tanto amore, tanta præventus est dulcedine. Cælestis Patris genium & misericordiam ille Pater in se expressit. An enim tu ô homo! ô fili prodige, prævenis Deum tuum, dum ad illum converti intendis? Ipse te prævenit, ipse tibi occurrit, ipse offert gratiam efficacem ut ad eum redeas per bonam, quæ ab eo te subduxisti per malam tuam voluntatem. Sed scito & considera: quod hæc Dei gratia donum est gratuitum non debitum tibi. Cogita! an non ultima hæc gratia, quam tibi Deus offert ad conversionem tuam? An tibi toties eam contemnenti non subtrahet in per-

petuum? Convertere ergo nunc ad Dominum Deum in toto corde tuo.

Reflexio Prodigus ille filius, semel dixit in corde suo: Surgam & ibo ad Patrem meum &c. Quoties tu Divinâ movente gratiâ dixisti similiter quoties proposuisti, & fors jurasti? at num in veritate surrexisti de cæno vitiorum? num te proripuisti ab illa vel illa iniquitate, vitiosa consvetudine? num adhuc non stas in via peccatorum? Num usq; hodie ivisti ad Patrem cælestem per semitas justitiæ, per viam pænitentiæ, per opera sancta peccatis tuis opposita? Et quando erit hæc felix hora, quâ vere surges ab omni peccato? quâ vere dices: Pater peccavi in cælum & coram te? quâ ibis & relinques omnia quæ te oblectant, quæ te retardant à Deo. Ab sit à te ne illa hora, sit tempus mortis tuæ. Audi Spiritum S. Eccl. 17. *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula. non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere, à mortuo quasi nihil, perit confessio.*

Exercitia Pomeridiana

MEDITATIO

De Cessatione à peccatis.

PRÆLUDIUM I. AUdi Christum dicentem & minantem tibi: *Vade & jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Joan: 5.

PRÆLUDIUM II. OBtestare humiliter Magistrum cælestem D. JESUM, ut hoc monitum ejus fortiter cordi tuo imprimas.

PUNCTUM I. PRimum omnium hoc est quod exigit Deus ab homine converso ad se, à sanato per gratiam suam, ut vadat, id est non stet ultra in via iniquitatis, non sedeat in cathedra pestilentiæ, nempe in consortio malorum in occasione proxima peccatorum; nam duo hæc, sunt pestes animæ, quam blande quidem ac insensibiliter afflant, sed lethaliter inficiunt & occidunt. Sic David conversus ad Deum fecit. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine* Ps. 54. Ut vadat, idest recedat toto corde, ab omnibus objectis amatis, ab illicijs sensuum, à cupiditatibus terrenis, à vanitatibus sæculi, quod si nonnullis uti debeat juxta sui status qualitatem, affectu tamen ab eis sit remotus juxta illud Apost. 1. Cor. 7. *Et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur* Et solus cum solo Deo versetur, omnia creata tanquam sibi extranea post se ponendo. Tandem ut vadat, id est à se ipso quoque recedat, avertendo cor à proprio commodo, amore & propria voluntate, non secus, quam à suo hoste, à suo proditore, per illud sanctum odium quod svadet nobis Christus: *Qui non odit animam suam, non potest meus discipulus esse.* Jo. 12.

PUNCTUM II. Sicuti hoc est certissimum quod *Unicuiq; data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ephes. 4. Id est præfixus certus cumulus gratiarum & meritorum ad obtinendam salutem æternam: ita hoc alterum indubitatum est, quod unicuiq; peccatori, præfixa est mensura seu cumulus certus peccatorum, quô completo infallibiliter incurrit damnationem æternam. Utraq; harum veritas patet non solum ex Scripturis Divinis, sed etiam à felici experientia justorum, qui etiamsi inter gravissima pericula peccandi positi sint, perseverant tamen finaliter in gratia & amore Dei: tum ab infelici experientia impiorum, qui etiamsi habeant fortissimos impulsus, & media facillima conversionis, perseverant tamen finaliter in peccato; cujus differentiæ non est alia ratio, nisi quod jam primi compleverunt mensuram operum bonorum, hi autem mensuram malorum. Hæc igitur sola veritas, debet esse fulmen penetrans cor hominis peccatoris, loquens illi: Jam amplius noli peccare! Quis enim tibi syngrapham dedit? quis te assecuravit? quod & si rursum appones iniquitatem super iniquitatem, adhuc non peribis in finem? adhuc non implebis mensuram peccatorum? adhuc miserebitur tui Deus? non dum subtrahet finalem ac efficacem gratiam? Tu ne multiplicando peccata, contemnendo præsentes gratias, prudenter tibi promittas non pœnam, sed uberiorem gratiam? Falleris: deciperis: utiq; Deus ipse dubitantem. fe-

ostendit in hoc passu, ubi tu tam temerarie tibi præfidis, dum dicit. *Is.* 40. *Quis scit si convertantur & sanem eos? Audi ergo vocem Domini hodie.* Jam amplius noli peccare.

PUNCTUM III. PErpende, quod dum JESUS dicit: Jam amplius noli peccare! non comminatur peccatori amplius & amplius in prærupta vitiorum ruenti, *ne malum* aliquod ipsi contingat, sed ne *deterius aliquid.* Ne putes Christi stylum vacare mysterio. Peccatum enim quodlibet quidem est summmum malum, est solum malum, est semper malum, at relapsis in illud, post tot lumina cælestia, post fortes instinctus est aliquid ipso peccato deterius. Quid enim quæso est deterius, an habere Deum tantum offensum, an relinqui & projici animo à Deo? hoc utiq; secundum, quod contingit homini amplius & amplius peccare volenti. Dimittit enim talem Deus secundum desideria cordis ejus, derelinquit, deserit, subtrahit efficacem gratiam, obdurat cor ejus, obtundit conscientiam, obturat aurem suam ad preces ejus & dicit: *Vocavi & renuisti, ego quoq; in interitu tuo ridebo* Prov. 1. nihilq; jam restat misero, nisi desperatio, & inevitabilis damnatio.

Reflexio. Num ad aurem quoq; cordis tui, non sæpius hæc vox Christi illabitur: Jam amplius noli peccare! in tot meditationibus, recollectionibus? Vide an jam hanc vocem salutis ad cor suscepisti? an non toties velut surda aspis obturasti aures nè hanc vocem audires? Vide an voluntatem peccandi

hôc vel illô vitiô cui assvetus es, in quod frequenter prolaberis, de quo continuum sentis remorsum; heroice vicisti, avertisti? Si ita? Deo ferventissime gratias age. Si nondum forsan? Ecce in hac Recollectione tua, dulcis vox JESU ad cor tuum illabitur: *Iam amplius noli peccare*, totque se prodit oribus quot vulneribus tot lingvis quot plagis: num tam æquæ jussioni Domini non respondebis? num adhuc voles delinquere, peccata peccatis accumulare, contra hoc vg: votum, præceptum, contra hanc virtutem agere? Audi potius vocem Domini, & statue semel pro semper: Nolo peccare! Malo mori quam fædari! Dole & geme ad pedes JESU Crucifixi, quod hactenus hanc vocem non es executus, & cum S. Teresia osculando Vulnera JESU, dic ad singula: Non amplius peccatum!

Recollectio de Humilitate:

Sicuti omnis peccati initium est superbia, ita omnis sanctitatis fundamentum est vera Humilitas, Igitur circa illam te examina, quantum in hac virtute defecisti? 1. Te ipsum magnifaciendo, & alijs præferendo. 2. Superbos conceptus de eminentia super alios in gradibus honorificis, in alijsq; talentis, voluntarie fovendo in mente. 3. Ambiendo ferventer, importune, impudenter promotiones, officia quasi tibi soli debita. 4. Alios contemnendo, bona facta, talenta, merita extenuando, supplantando ut tu evcharis, & præ alijs

æsti-

æstimeris. 5. Ab alijs laudari, prædicari cupiendo, & in humanis laudibus applausibus nimis complacendo, in vituperijs vero displicendo, honorem proprium zelando. 6. Verba vanam gloriam spirantia, cum audientium fastidio vel scandalo proferendo. 7. In contemptibus, calumnijs, depressionibus fremendo, gemendo, querulando. 8. Suum velle, sentire, alijs subijcere pro:erve nolendo. 9. Superiores, Confratres non apprehendendo, non æstimando, indigne de illis cogitando. 10. Dona Dei gratiose tibi impertita, proprio merito, aut industriæ adscribendo. 11. Fastum in voce, incessu, alijsq; operibus præferendo. 12. Reverentiam convenientem unicuiq; non exhibendo, sed barbare compellando &c. Vide an in his & alijs humilitatem Christi JESU secteris? An humillimi Patris tui S. Francisci imaginem in te prætuleris. Annotato graviores in humilitate defectus, deplora tuam superbiam, heroico tui contemptu recompensa, humilia te in omnibus & coram Deo invenies gratiam. *Post Completorium* Meditatio *2da.* Communis. Preces fundendæ pro extirpatione hæresum. Pacta Scalæ. 3. & *4tæ.*

DIES V.

Exercitia Antemeridiana.

1. PRæmissa Meditatione de Passione Domini Lectio spiritualis instituatur vg. ex V. Thom. Kemp. lib. 2. cap. 12. l. 3. c. 32. & 56.

MEDITATIO
De abneganda propria voluntate.

PRÆLUDIUM I. ATtende oraculum *Spir: San. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.* Eccli 18.

PRÆLUDIUM II. POsce lumen Spiritûs S. ut hoc illius dictamen menti imprimas, & in effectum deducas.

PUNCTUM I. UNicuiq; nostrum indidit Deus liberum arbitrium & voluntatem, ut ejus bono usu mereatur; in illa namq; consistit vis amandi ac timendi Deum, ac omnia quæque sancte & virtuose operandi. At quia ex se cæca est addidit ei socium & Pædagogum intellectum à quo instruatur, proposuit voluntatem suam Divinam pro regula, à qua in omnibus pendeat & regatur. Et profecto quousq; & quandocunq; intellectus consilium, ac Divinæ voluntatis imperium sequitur, Divina plane vocari censeriq; debet, juxta illud Is. 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* At vero dum non Dei mandata, non rationis præscripta, sed solas cupiditates suas sequitur, dum libertate sibi inditâ abutitur, jam tunc propria vocatur, adeoq; cæca fatua & perversa evadit, & vadit in præceps post concupiscentias suas, tanquam post equos indomitos, vel furentes ventos, absq; rectore, absq; duce, absq; lumine cælesti cui fit rebellis.

PUN-

PUNCTUM II. PErpende tecum: quis nam ſanæ mentis homo, in devio, ſcabroſo, periculoſo itinere, cæcum in ductorem ſibi aſſumeret? utiq; ex Chriſti Sententia. *Quod ſi cæcus cæco ducatum præbeat, nonne ambo in foveam cadunt?* Math. 15. Quis nam hominum filio ſuo præceptorem, unum fatuum eligeret, illiusq; regulas ſequi permitteret? Nam. *Expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in ſtultitia ſua.* Prov. 17. At quid eſt aliud voluntas propria, amore proprio excæcata, deſiderijs pravis imbuta, paſſionibus abrepta, rationi repugnans, in intentis pertinax, niſi cæca & fatua? Juſtum ne eſt, prudentis ne eſt illam ſequi, illi adhærere, illius perverſis impulſibus regi, & ire poſt concupiſcentias ejus? An non potius averti ab ea ſtudioſe, heroice? illam propter Deum, vincere, ſubjugare, abnegare, contemnere? nihil propria voluntate facere; nam quid quid teſte S. Baſilio, ex voluntate propria concupiſcitur id alienum eſt à pietatis cultoribus.

PUNCTUM III. AVertimur omnino à viperis alijs que nocivis animalibus, fugimus lepram, cavemus manui aut veſti ab igne. Quantum averti debemus à propria voluntate? ipſa enim juxta SS. PP. eſt vipera peſſima & nequiſſima, & quæ ſola damnare poſſit animas noſtras. Ipſa eſt lepra peſſima, eoq; pernicioſior quo magis interior. Ipſa eſt ignis usq; ad perditionem

devorans. Cesset propria voluntas & infernus non erit; in quem enim desæviet ignis ille, nisi in propriam voluntatem? Avertimur à furioso homine, vel fortiter illum religamus. Et quid est propria voluntas, nisi una infernalis Furia? Audi *S. Bern*: Quo inquit furore propria voluntas Dominum Majestatis impugnat, audiant & timeant servi propriæ voluntatis? Primo namq; subducit dominatui ejus se ipsam, cui tanquam Authori servire jure debuerat, dum efficitur sua: sed nunquid contenta erit hâc injuria? addit adhuc, & quod in se est, omnia quoq; quæ Dei sunt tollit & eripit. Igitur si quid sapis religa furiam istam, mortifica continuo, fræna concupiscentias ejus, & à voluntate tua avertere.

Reflexio Non dubito quod cum Religionem Sacram ingressus es, primum hoc didicisti: Non velle meum facere, sed passiones vincere. Credo quod in corde tuo non semel dixeris illud Christi: *Io: 6.* Descendi [ad statum humilitatis, obedientiæ] non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris. *Sed* perpende an sis aversus à tua propria voluntate, an studeas abnegationi? *Si* ire soles post concupiscentias tuas, si tui amoris es mancipium, si in proprio sensu abundas, non averteris à voluntate tua, non velle Divinum sed tuum facis. *Si* impacatus es in occasionibus humiliationis, patientiæ, si forte aliquando furibundus in his & excors? velle tuum facis.

facis. Igitur à modo saltem amore JESU amore salutis tuæ à voluntate tua avertere. Dole coram Deo, erubesce quod fueris hactenus mancipium illius, & per eam mancipium diaboli; nam juxta *S. Bern:* Diabolo nos mancipat nostra voluntas, non ipsius potestas.

Exercitia Pomeridiana

MEDITATIO

De Conformitate voluntatis nostræ cum Divina.

PRÆLUDIUM I. Converte oculos mentis tuæ ad Christum Dominum, in horto Getsemani, positum inter extremos animi sui mærores, tædia, pavores, dicentem ad Patrem suum. *Verum tamen non mea sed tua voluntas fiat.* Luc. 22.

PRÆLUDIUM II. ORa humiliter orantem in horto JESUM, ut te doceat, quantâ resignatione Ille, quantâ tu debeas voluntatem tuam Divinæ conformare.

PUNCTUM I. SAlvator noster, & dilectus æterni Patris Filius, humanam voluntatem suam habuit sanctissimam, rectissimam, impecabilem, rationi & gratiæ nusquam dissonam,

adeoq; quidquid voluit & intendit, ſanctum perfectumq; fuit. Nihilominus eam ſibi pro regula actionum ſuarum non ſtatuit, ſed potius Divinam æterni Patris ſui voluntatem, quâ plane vixit juxta illud: Joan: 4. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me Patris.* Potuit D. JESUS velle absq; omni peccato ſummos honores, maximas opes, imo & delicias: potuit plura & majora facere miracula, graviores labores, jejunia ſubire, potuit omnia elementa movere, omnes homines ſuo imperio ſubjugare, cæterum nil plus egit, non plus ſuſtinuit, quam ei voluntas Dei Patris definivit, tamq; in proſperis, quam in adverſis ad hanc ſolam regulam reſpexit, ac in omnibus actionibus ſuis id unum cogitavit, dixit, fecit: *Ita Pater! quoniam ſic fuit placitum ante te!* An hoc exemplum Salvatoris noſtri non debet convincere ſtolidam mentem noſtram, ut Sanctiſſimæ Voluntati Divinæ, voluntas noſtra per omnia conformetur, quæ peccato eſt vitiata, paſſionibus excæcata, omni Protheo mobilior, omni vento inſtabilior.

PUNCTUM II. ATtende quo tempore D. JESUS illa protulit: *Non mea ſed tua voluntas fiat!* Jllo utiq; quo æterni Patris voluntas erga tam innocentem. tam dilectum Filium fuit ſeveriſſima, quando Jllum conterere voluit cum iniquitate, quando Jlli calicem non melle ſed felle plenum, calicem indignationis & iræ propinavit & epotare mandavit: quando JESUM ad extre-

extremas angustias, calumnias, blasphemias, contemptus, plagas, spinas, crucem ac mortem patibulariam damnavit. Ad hæc omnia & alia dirissima quæ Christo in horto præsentata fuere, tota illius natura humana exhorruit, totus Sangvis è venis emotus, interposita ad Patrem oratio, non tamen exaudita. Tunc JESUS, quando, facta est tristis anima ejus usq; ad mortem, quando illi ademptum est omne solatium, resignat se & protestatur. *Non mea sed tua voluntas fiat'* An te non satis docet ô homo, quod ne dum in prosperis, sed etiam in adversis, nedum in levibus, sed in gravibus quoq; ac extremis, conformari debeas supremæ Dei voluntati, illiusq; decreta sive dum tecum svaviter agit, sive dum fortiter procedit æquo animo acceptare, benedicere, collaudare, ad modum illorum qui in cælis concinunt. *Salus & gloria & virtus Deo nostro est: quia vera & justa sunt judicia ejus.* Apoc: 19.

PUNCTUM III. PUtasne ô homo solius Dei interesse, solum honorem, & dominium ejus id exigere, ut subijcias & conformes in omnibus tuam voluntatem Divinæ illius voluntati? nequaquam ita est: quinimo in hoc tuæ felicitatis, pacis gaudij, maximiq; meriti negotium vertitur. Deus ipse asseverat. *Prov. 12.* Non contristabit justum quidquid ei acciderit. Cur quæso? quia subjectus est Divinæ voluntati, quia eam ut Sanctam adorat, ut Sapientissimam æstimat,

mat, ut optimam amat. Revolve *Sanctorum* exempla in tribulatione gaudentium, in morbis, in egestate, in spoliatione bonorum, in amissione prolium, in depressione lætantium: unus ad voluntatem Dei respectus illos gaudio replevit, pacatos reddidit. Revolve *SS. PP.* dicta & invenies hanc veritatem. Qui Divinam voluntatem in omnibus sequi conatur, in curru cum crucibus alioquin ferendis vehitur: alij vero qui hanc itineris agendi rationem & compendium ignorant, pone pedites sequuntur, & onerosas cruces aut morose aut laboriose ferunt. Relinque ergo te, resigna te, proijce te in voluntatem Dei, & magna frueris interna pace, quæ datur hominibus bonæ voluntatis.

Reflexio. O quoties Deus voluntatem suam quodammodo subijcit voluntati humanæ? Utiq; voluntatem timentium se facit: at quot mirabilius voluntatem non timentium se, peccantium, impiorum, rebellium sibi facit, juxtà illud. *Is.* 43. *Servire me fecistis in peccatis vestris.* O quam probrosum, quam impudens si homo voluntatem suam non vult subijcere & conformare Divinæ voluntati: Dispice tu ô anima innumeras tuas difformitates repugnantias, rebelliones Divinæ voluntati. Quot damna meritorum, quot pericula damnationis exinde incurristi? quot angustias & inquietudines exinde in varijs eventibus pertulisti, cum ad tuam non ad Dei voluntatem respexisti. Defle tuam contra Deum superbiam, rebellionem, deplora quotidiana pene tua perjuria, dum dicis:

Fiat

Fiat voluntas tua, & à modo dic in corde. Nonne Deo subjecta erit anima mea? dic cum Christo: Non mea Domine sed tua voluntas fiat!

Recollectio de Obedientia

OBedientia est aurea regula Religiosæ voluntatis & frænum licentiosæ libertatis. Circa illam igitur te examina. *1mo.* Quantum defecisti in obedientia erga Deum? 1. Desidiose præcepta ejus & Regulæ adimplendo, imo fors transgrediendo. 2. In adversis animæ vel corpori remurmurando contra Deum, ejus judicia circa te non tam mirando quam rimando. 3. Raro heroice voluntatem tuam Divinæ subijciendo, adversa de manu Dei provenientia nimis timendo, impatienter ferendo. *2do.* In obedientia erga Dei Vicarium. 1. Toties liberum arbitrium voluntati *Superioris* nolendo subijcere. 2. Jussa ejus, si non formalia, saltem interpretativa, contemnendo vel non exequendo. 3. Propriæ sententiæ contra mentem *Superioris* adhærendo. 4. Contra vel præter voluntatem, licentiam, notitiam *Superioris*, notabile aliquid faciendo. 5. Licentias, libertates morose extorquendo. 6. Placita tibi libentissime, displicita impatientissime exequendo. 7. In occupationibus tuis amittendo sæpe intentionem obediendi propter Deum. Dispice tandem an contra votum obedientiæ graviter in aliquo non deliqueris? quod si quid tale adverteris deplora, renova tuam professionem, &

annota ut caveas, & crede contemptores obedientiæ nec in altero sæculo beari, nec in hoc felicitari.

Post Completorium Meditatio *2da.* Communis. Præces fundendæ pro Parentibus, Consangvineis, Benefactoribus, amicis, inimicis. Pacta *Scalæ* 5tæ. & 6tæ.

DIES VI.

Exercitia Antemeridiana

1. PRæmissa Meditatione de Passione Domini. Lectio Spiritualis instituatur vg: ex V. Thom: Kempensi lib: 3. c. 10. 17. 31. 41.

MEDITATIO

De Contemptu terrenorum.

PRÆLUDIUM I. AUsculta Christi Dilectum dicentem: *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt: Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. 1. Ioan: 2.*

PRÆLUDIUM II. OBsecra Amatorem tuum D. JESUM ut hoc salutare monitum profunde cordi tuo inprimatur.

PUNCTUM I. TOtus in hoc stat labor conatusq; inferni, ut hominem ratione præditum, fide quoq; illustratum, avertat

à vero

à vero ultimoq; fine suo, & filialem amorem quem debet homo Deo, tanquam Creatori Patriq; suo, aut imminuat, aut penitus è corde excludat. Quid igitur dæmon facit! novit ille optime Deum esse verum & summum hominis bonum, juxta illud Christi: Luc: 18. *Nemo bonus nisi solus Deus* ergo obtendit & ostendit homini alia bona, ad quæ oculum animumq; convertens, à Deo, summo, vero, soloq; bono suo avertatur. Ponit importune ob oculos nostros bona hujus mundi, non sua certe sed aliena hic dives mendax; sicut aliquando ipsimet Christo ostendit omnia regna mundi & omnem gloriam ejus *Matt*: 4. præsentat id esse quod non est, promittit quod dare non potest. Quam vere dixit Ethnicorum non nemo: *Occurrunt subinde mendacia, quæ licet mendacia sint, majorem tamen habent veritatis apparentiam, quam ipsa veritas.* Talia sunt profecto mendacia Patris mendacij dæmonis, qui bona aliena vendicat pro suis, bona fucata pro veris, caduca & fluxa pro solidis ac æternis, infima pro summo bono. Credesne anima mea his larvis, umbris, & apparentibus bonis? credesne huic stygio impostori? & recedes aliquando à Deo, summo bono tuo!

PRÆLUDIUM II. TRia sunt genera bonorum hujus mundi, quibus nos dæmon illaqueare solet, nempe quæ recenset Apostolus 1. Jo. 2. *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est*, nempe deliciæ sensuales

& brutales voluptates, *& concupiscentia oculorum*, nempe divitiæ ac quæq; rara, cara, pretiosa, curiosa, *& superbia vitæ.* nempe honores, dignitates, præeminentiæ, præcedentiæ &c. *Sunt ne* hæc singula, vera, solidaq; bona? Utiq; mundus transit & concupiscentia ejus. Sunt ne hæc bona, infinito, incommutabili bono, scilicet Deo nostro aliquatenus comparanda, sunt ne illi anteponenda, & præ bonis gratiæ Divinæ ac æternæ gloriæ prudenter æstimanda? *Singula* profecto hæc bona, ô quam sunt brevia! quia nec statim cum vita hominis incipiunt, nec durant continuo, ante mortem longo sæpe intervallo deficiunt, in morte vero omnia desinunt. O quam sunt vilia! num enim Deus vel impijs negat honores & divitias? an vel abjectissimis denegat spurcas voluptates? O quam sunt noxia! an enim non torquent hominem curis ut acquirantur, an non premunt laboribus & vigilijs ut retineantur? num cor non pungunt, opprimunt, vulnerant, si amittantur? Merito *S. Bern:* dicit: Beatus qui post ea non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Hæc igitur larvæ & meræ apparentiæ bonorum, hæc fluxa, vilia, noxiaq; bona, vero æternoq; bono præpones? Propter hæc summum bonum offendes? æterna bona juste & sapienter amittes?

PUNCTUM III. DEI *Sapientia* quæ svaviter disponit omnia, non stringit nos aliquo præcepto, ne mundi bonis utamur,

Eremitar Camaldr Montis Argentini

mur, cum ipsa nobis conferat tum licitas voluptates, tum opes, tum honores: at hoc unum à nobis exigit: *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt,* quasi diceret: nolite cor apponere divitijs, nolite immergi delicijs: nolite affici honoribus vanis: nolite omnes vestras cogitationes, affectus, vires, curas, labores his perituris bonis impendere, sed uti brevia, vilia, noxia, paucifacere, contemnere. Nolite vestram salutem, beatitudinem æternam pro illis prostituere: nolite amori, gratiæ, amicitiæ meæ, horum bonorum amorem præponere. Vel ut Christus dixit: Matt: 6. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis, & à me quidem* qui solus hæc bona confero, non à dæmone qui vobis illudit, qui aliena hæc bona, vestra salute vendit, qui amorem vestrum erga illa toto inferno rependit. An hæc non svavissima Dei nostri Providentia? an non æqua jussio, præsentia bona gustare at ijs non saturari, amare illum magis, quam hæc bona? ob nullam voluptatem, ob universas mundi opes & honores summum bonum non offendere, ac æternaliter non amittere, imo his bonis ordinatè uti ac sobrie, amore Dei heroice contemnere, & bonis nunquam interituris, immutabiliter, incessabiliter, satiabiliter, cum Deo sanctisq; ejus, in cælesti Patria gaudere?

Reflexio. Perpende, an tu quoq; in numero amatorum mundi non inveniaris, qui tamen deseruisse mundum te opinaris? an te quoq; forsan

aliqua concupiſcentia mundi vg: honoris, eminentiæ, commodorum carnis &c. non illaquearit? an totum te aliquando non poſſedit? an plus juſto, plus nimio excellentiam aliquam non ambijſti? an in honore dignitate oblata non complacuiſti ex corde? an eam cum aliqua Dei offenſa non quæſiviſti, per mendacia, illicita obſequia, factiones ſubornationes &c. num tui labores, curæ induſtriæ, non tendebant magis ad hoc ut honoratus evaderes, vel majoribus commodis gauderes, quam ad Dei gloriam, Religionis honorem & utilitatem? An tuæ cogitationes, affectus magis circa ea verſantur quæ ſunt ſpiritûs, quam circa ea quæ ſunt carnis & mundi? Rimare abdita conſcientiæ tuæ, & quidquid devium inveneris, defle, emenda & time, ne te Deus inſcribat inter eos, de quibus Apoſtolus dixit: *Philipp: c. 3.* Nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti, qui terrena ſapiunt, quorum Deus venter eſt, quorum finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum.

Exercitia Pomeridiana

MEDITATIO

De Contemptu ſui.

PRÆLUDIUM I. AUſculta brevem in verbis, magnam in ſenſu doctrinam Apoſtoli ad Rom. 11. *Noli altum ſapere ſed time.*

PRÆ-

PRÆLUDIUM II. OBſecra in ſpiritu humilitatis *Spiritum S.* ut hanc doctrinam cordi tuo imprimere dignetur.

PUNCTUM I. PLures forſan inveneris, qui omnia mundi bona generoſe contempſerunt, calcarunt divitias, navſearunt delicias, abdicaverunt honoribus, vivunt pauperes, mortificati & inglorij. Pauciſſimi qui ſe ipſos contemnant, & altum quid de ſe non ſapiant, alios non deſpiciant, ſe ſe alijs in animo non præponant. Sæpe ipſæ virtutes, & ipſa quoq; exterior humilitas mentem hominis attollit ut de ſe aliquid magni ſentiat. Et hic eſt ſcopulus ſingularis, ad quem plurimi in magnis virtutibus exercitati infeliciter offenderunt, & ſalutis ſuæ naufragium pertulerunt. Unde ſaluberrime præcavet Spir: S. *Eccli: 3.* Quanto magnus es humilia te in omnibus & coram Deo invenies gratiam. Et ipſe Chriſtus diſcipulis inculcabat. *Io: 15.* Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt, dicite ſervi inutiles ſumus.

PUNCTUM II. UNum eſt medium contemnendi ſe ipſum, nempe vera ſui cognitio, quæ juxta *SS.* Patres eſt ſublimiſſima ſcientia & artium maxima. Igitur cognoſce te ſecundum naturam, & juxta *S.* Bernardi conſilium: iſta tria ſemper in mente habeas, quid fuiſti? quid es? quid eris? Quid fuiſti? quia ſperma fætidum.

Quid

Quid es? quia vas ſtercorum. Quid eris? quia eſca vermium. Unde ergo altum ſapies? unde criſtas attolles? Cognoſce te rurſus juxta ſpiritum, habes nonnulla animi talenta, nonnullas virtutes ſi te comparaveris ad eos qui longe majora te habent, ad eos qui paria habent, cur tumeſcas & turgeſcas qui minus aliјs, vel nihil majus aliјs habes? *Si* te compares ad eos qui forte minora talenta dotesq; habent, fateare. Quid non habes quod non accepiſti, aut ſi accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis? Num exinde poteſt efferri unus debitor præ alio, quod unus ab opulentiore contraxit debitum mille talentorum, alius vero decem millium talentorum, Ita profecto ſi quæ ſunt dona tum naturalia, tum ſupernaturalia in anima tua, utiq; ſunt mutuo accepta, ſunt debita ſummi Creditoris Dei, quanto majora accepiſti dona, contraxiſti debita, tanto majora onera aſſumpſiſti pro quibus rationem ſtrictam es redditurus, tantoq; ſeveriorem, ſi ea quæ tibi Deus conceſſit ad gloriam ſuam, convertas ad gloriam tuam, ex illisq; intumeſcas: *Noli igitur altum ſapere, ſed time!*

PUNCTUM III. AMor ſui inordinatus qui Luciperum nimis reſpectantem ad collatas illi à Deo dotes naturæ & gratiæ, in ſummam ſuperbiam erexit, & mox ad inferos depreſſit, amor iſte eſt ſpeculum fallax, quod dæmon anteponit homini, & in eo hic mendax ſpiritus

ritus facit omnia magna. Remove te ab hoc ſpeculo, & ſtatue tibi veram ſpeculam, pone tibi amaritudines *Iere: 31.* Diſpice non conniventer in anima tua tot peccata quæ commiſiſti, tot in factis tuis errores, imprudentias, perverſitates mobilitates, inconſtantias in bono, in continentias paſſionum, hæc omnia mala, vitia, defectus, imperfectiones, tua ſunt, hæc ſola tibi propria & hæreditaria, hæc tu reſpice, horum gravitatem, frequentiamq; perluſtra, agnoſce fideliter & humiliter, & jam fer ſententiam, an non ſtultiſſimus virorum ſis? an penes innumera tua vitia, ſi quæ ſunt dotes à Deo tibi datæ, vel virtutes à te exercitæ, non umbræ ſunt tenues? penes incendium tuorum vitiorum, an non ſint ſcintillæ, penes diluvium tuarum iniquitatum non ſint ſtillæ exiguæ? *Noli ergo altum ſapere ſed time.*

Reflexio. B. Margaritæ à Sabaudia Ord. *S.* Dominici, cum peteret à Deo gratiam cognoſcendi viam per quam antiqui Patres ad magnam ſanctitatem perveniſſent, in libro aureis literis exarata hæc verba ei ſunt oſtenſa: Perfectio antiquorum Patrum iſthæc fuit: Deum amare, ſe ipſum noſſe & deſpicere, aliorum vero neminem contemnere, neminem vel in re minima judicare. Num tu ſequeris hanc antiquorum Patrum viam? num te ſaltem nunc vere cognoſcis, intime deſpicis, aliosq; non contemnis? Forſan nulla alia imperfectio tibi tam familiaris, tam frequens, tam inveterata, quam te ipſum magnificare, alios deſpice-

re, ſiniſtre judicare. Ah noli jam ultra altum ſapere, ſed time illud fulmen à Deo vibratum *Is. 23. Væ qui ſpernis nonne & ipſe ſperneris!* & illud Chriſti *Luc: 14. Omnis qui ſe exaltat humiliabitur.*

Dole ex animo quod licet vota tua nuncupaveris Chriſto contempto, exinanito, nondum ſis tui contemptor, & *SS.* ejus imitator.

Recollectio de Paupertate.

PAupertas Aſcetica præ alijs virtutibus diſponit hominem ad contemptum terrenorum, & ad ſui ipſius contemptum; nam ipſe Deus odit pauperem ſuperbum *Eccl: 25.* Itaq; circa eam te examina. 1. *Si* aliquem affectum ad res temporales, ſcilicet ad honores, voluptates, libertates &c: non habuiſti, non foves etiamnum? nam hæc omnia paupertati *Spiritûs* ſunt contraria? 2. *Si* paupertatem Evangelicam ad imitationem Chriſti gaudenter ſupportas, & intime contentus es, quod te Deus in hoc ſtatu paupertatis collocaverit? 3. *Si* nulla chara, cara, rara, ſuperflua appetis, procuras retines contra vel præter voluntatem *Superioris*, contra Regulam tuam, vel leges? 4. *Si* in penuria non murmuras, non conturbas, *Superiores*, & furtive eſculenta poculenta non ſurripis? 5. *Si* neceſſaria non avide nec ſcandaloſe acquiris? vg. recurrendo ad pecuniam, importune extorquendo? 6. *Si* acquiſita ſine amore tenes, de amiſſis non

turba-

turbaris, alijs charitative communicas? 7. Si nihil omnino proprietati tuæ adſcribis, nihil coram Superiore celas? 8. Si nihil apud Sæculares deponis, nihil diſponis propria voluntate, nihil extraneis absq; licentia Superiorum expreſſa aut prudenter præſumpta [quam novelli & non graduati in Religione nequaquam ſibi rite poſſunt polliceri, præſertim quo ad res notabiles in quantitate vel qualitate] extradis? 9. Si rem uſui Communitatis, Eccleſiæ, Sacriſtiæ aut particularis fratris deſtinatam accipis, tibi ſoli uſurpas, vel eam alteri donas? 10. Si Conventum vel Cellam tibi appropriás, manendo ibi contra Superiorum voluntatem, aut doloſe, mendaciter, extorquendo ad manendum licentiam? Vide non conniventer an in his plerumq; non defeciſti in paupertate? an non forſan proprietatis actus contra votum commiſiſti? contra illud Regulæ tuæ præceptum illimitatum *Cap. 6to.* Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, neq; aliam rem in hoc ſæculo. An per hæc & alia paupertati devia, ſummo Amatori paupertatis Evangelicæ *SS.* Patri tuo Franciſco non diſplicueris? qui jam in cælo regnans transgreſſores paupertatis graviſſime punivit, ignibus mandavit. pro filijs non agnovit, ut Chronica noſtra atteſtantur. Jam ex nunc diligentius ſtude pauperem Chriſtum pauper ſequi, abijce curioſa, pretioſa, ſuperflua. Dole de commiſſis contra paupertatem, deprecare Chriſtum JESUM & *S.* Patriarcham Franciſcum. *Poſt completorium*

Meditatio *2da.* Commmunis. Preces fundendæ pro obſtinatis in peccatis. Pacta *Scalæ 7ma.* & *8va.*

DIES VII.

Exercitia Antemeridiana

1. PRæmiſſa Meditatione de Paſſione Domini Lectio Spiritualis inſtituenda vg. ex Thom. Kemp. lib, 3. c. 6. 28. 25. lib. 1. c. 11.

MEDITATIO
De Profectu Spirituali.

PRÆLUDIUM I. AUdi Doctorem gentium ferventer adhortantem: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum, bonum autem facientes non deficiamus Galat. 6.*

PRÆLUDIUM II. ASpira ad Deum ut hoc ſalutare monitum penetret intima cordis tui.

PUNCTUM I. ET ſi convertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde, & ſi à peccatis receſſeris, voluntatem tuam abnegaveris, Divinæ illam ſubjeceris, & ſi terrena omnia, & te ipſum deniq; heroice contempſeris, an jam ſiſtendum hic putas? Falleris! nam ſic modo primum in prima via incipientium Tyronum in ſpiritu

ritu constitisti, posuisti bonum fundamentum, sed non dum structuram erexisti. Ad quid tibi concessum est à Deo pretiosum tempus? ad quid prorogantur tibi dies vitæ? ut quiescas, non crescas, non labores, ita ne? Ad quid te posuit Deus in paradiso voluptatis, idest in S. Religione nisi ut custodias & opereris? Ita omnino. Ergo dum tempus habes, opereris bonum, exercearis in virtutibus sanctis, eundo de una virtute in aliam virtutem, crescendo & augendo merita, ascensiones in corde tuo disponendo, & de minori gradu ad sublimiorem virtutis gradum enitendo; sicuti enim humanum corpus successivis spatijs crescit, augetur, dilatatur, ita perfectio animæ sensim & continuo exercitio ad summum pervenit, nam veluti nemo repente fit pessimus, ita nemo repente fit optimus.

PUNCTUM II. HOc ipso titulo, quod S. Religionem sis professus, obligaris ad perfectionem tendere. Quid si horas innumeras, dies plurimos, & multos annos nihil vel parum proficiendo in Spiritu, consumpsisti, vixisti ne ut Religiosus, ut tendens ad perfectionem? Utiq; ex oraculo Divino Prov. 4. *Iustorum semita quasi lux splendet & crescit usq; ad perfectum diem.* Quid prodesset si aurora consurgeret, vel Sol in ortu tantum lucem spargeret, illamq; amplius & amplius per minuta & horas non diffunderet? nunquam perfectam diem haberemus. Ita profecto, quid juvaret nos, quid nobis ad me-

rendum diem æternitatis prodesset, si in primo tantum Tyrocinio, aliqua lux virtutum in nobis rutilaret? fervverent initia nostra, & progressus tepescerent? diceremusq; in corde: sufficit: at nobis responderet conscientia: *Si* dixisti: sufficit: perijsti: tempus, quod tantum valet quantum Deus, otiose perdidisti, in dies non profecisti. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.

PUNCTUM III. SI tempus quod tibi Deus concedit, si auxilia gratiæ quæ tibi ad bene operandum elargitur, forent in tua proprietate, dominio, potestate, forsan posses absq; tuo damno illis uti vel non uti. *S*ed num tua, num propria tibi sunt: Tempus & Gratia Divina? Nequaquam tua! commodato gratuito ista habes à Deo, & ignoras quam diu lux gratiæ tibi allucescet? Cur ergo his talentis à Domino tibi ad usum concessis non operaris, non lucraris? Cur in tanta incertitudine positus divitias spiritus, virtutes earumq; augmenta non accumulas? Cur nunquam vg. devotior, humilior, mansvetior, temperantior evadere conaris? Conscientiam tuam interroga. An post tot annos conversionis, post tot lumina interna, post tot exercitia spiritualia, constiteris jam in via proficientium? non dico perfectorum. At forte respondebit tibi: stulto errore deciperis: Non profecisti, sed defecisti, virtutes non cumulasti sed dispersisti, & in statera Dei inventus es minus habens, quam forte in tuis initijs habuisti.

Ergo

Ergo dum tempus habemus operemur bonum, bonum autem facientes non deficiamus. Tempus enim non erit amplius, vires & fervor deficient, & ne gratia Dei subtrahatur in finem.

Reflexio S. Eucherius Episcopus in parietibus Aulæ suæ istud Apostoli monitum jussit exarari. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum:* quo excitaretur ad pretiosum tempus fructuose collocandum, in operibus virtutum expendendum. Num hanc auream doctrinam saltem in memoria tua aliquando descripsisti? Religio *Sancta* quærit ex te: Ad quid venisti? & respondisti toties: *Sanctam* Crucem tollere, & in dies proficere. Dimetitur tibi quotidie horas laudandi Deum, legendi salutaria, laborandi utiliter. Te Judica, an in dies profecisti? plures ne actus practicos virtutum, an defectuum exercuisti? An tot horas tibi præscriptas, non abligurijsti, non mutilasti? nugis, vaniloquijs, vanis excursibus, voluntarijs occupationibus non impendisti, & hucusq; inops virtutum & meritorum hæres. Age quod libet, neglige virtutum exercitia, consume tempus, contemne gratias Divinas, sed crede quod: Vocabit Deus adversum te tempus, ut minatur. *Thren:* 1. Ergo profecto melius dum tempus habes operare bonum, ejura otium sentinam vitiorum, excute socordiam, profice, non defice, & mærenter dic in corde: Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum. Vel cum illo *Sancto.* Tempus vadit & ego nihil operor! Redime præterita tempora ferventiori.

tioribus, frequentioribus actibus virtutum, sæpius elice hos vg: actus. Domine! amo te, adoro te, deprecor te pro his omnibus momentis, quibus de te non cogitavi, te non amavi, in quibus nihil boni egi, in quibus te offendi, steriliter, infructuose, scandalose vixi &c.

Exercitia Pomeridiana

MEDITATIO
De Sanctis Desiderijs

PRÆLUDIUM I. IMaginare tibi Christum in monte sedentem & depromentem illud oraculum. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matt: 5.

PRÆLUDIUM II. IMplora à Magistro cælesti, ut hanc esuriem in animæ tuæ palato acuat, & sitim accendat.

PUNCTUM I. INter innumera media seu auxilia, quæ liberalissimus Deus, ad consectandas virtutes, ad assequendam perfectionem nobis elargitur, teste D. Thomâ Angelico sunt: *Sancta* desideria. Nimirum, experientia nos docente. Quotus homo sollicire & continuo quærit, congregat, accumulat, & servat opes, nisi fer-

veat

veat avaritiâ quæ? ipſi omnes curas, labores pericula in ijs conquirendis lenit & dulcorat. Quis nam captandis honoribus tam operoſè inſudat, niſi qui ambitione flagrat? ſic & ſtomachus famelicus multa de ferculis attrahit & ſumit avidiſſime, & ardens ſiti guttur multo potu impletur. Ad eum fere modum anima fidelis, nunquam alias virtutibus diteſcet, merita cæleſtis gloriæ accumulabit, ſaturabitur cæleſtibus delicijs nunquam in ſpiritu proficiet, niſi avara & ambitioſa ſit virtutis, niſi eſurierit, & ſitiverit juſtitiam, perfectionem, ſanctitatem, niſi plus & plus in his creſcere appetat, juxta illud. *Apoc: 22.* Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc.

PUNCTUM II. NOn tam miranda eſt illa Davidis ſententia *Pſ. 106.* Beati qui cuſtodiunt judicium & faciunt juſtitiam omni tempore, quam iſta Veritatis æternæ. Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: certa nihilominus & indubitata eſt. Nam miſericordiſſimus Deus, coronat ſæpe in nobis bonam voluntatem, ubi non reperit facultatem, & in operibus noſtris magis ad affectum noſtrum reſpicit quam ad cenſum. Beati & exinde eſurientes & ſitientes juſtitiam, quia non utcunq; ſapit ejs virtus, perfectio & ſanctitas vitæ, ſed ut famelicis cibus, vel ſitientibus potus, proinde non adeo ſentiunt nauſeam in rebus ſpiritualibus, faſtidium & acediam in pænitentijs auſteritatibus, rigoribusq; Religionis, ſed ea

hilariter usq; ad mortem supportant; unde in his exercitati Religiosi plus gaudij in corde sentiunt, quam sæculariter viventes, in omnibus opibus & delicijs. Beati tandem, quia non pascuntur tantum, cælestibus dulciarijs, consolationibus internis, & jugi illo convivio securæ mentis, at saturantur, ut de eis dici possit: *Repleti prius pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.* 1. R. 2. Ex quo demum provenit, quod nauseent mundi carnisq; solatia, jam Deo pleni, saturati, inebriati, nam *Anima saturata.* Divino nectare *calcabit favum* consolationis terrenæ *Prov* 23.

PUNCTUM III. QUanquam hoc indubitatum sit: beatos ac felices esse qui esuriunt & sitiunt justitiam. Cæterum & hoc alterum æquè certum est quod dixit unus Ascetarum: *Nihil plus ardet in inferno quam bona desideria.* Percelleris hoc dicto? ne mirere. Vix enim aliquis homo est Religiosus saltem, qui non optat esse virtuosus, puderetq; illum dicere aliud ab hoc. At qualia sunt isthæc desideria? infirma, volubilia, inefficacia; scintillæ sunt ad cor injectæ sed non erumpunt in flammam, flores sunt, at sine fructu marcescunt, absq; effectu sterilescunt, velleitates sunt quædam sed non seriæ voluntates. Quid porro juvat ad meritum coram Deo, si cupias esse mortificatus absq; abstinentijs, disciplinis, genuflexionibus &c. Devotus absq; meditatione, attentione, applicatione mentis. Humilis absq; ullo

contem-

contemptu sui: patiens absq; ulla molestia illata castus absq; sensuum continentia, collectus cum frequenti excursu, negotiorum quæsitione, versatus in spiritu absq; seria lectione, perfectus absq; sui abnegatione. Ardent in inferno passim talia desideria. Quid tum inferendum? Desideria mea debent esse sancta, more sanctorum elicita, firma, seria, ad effectum deducta, exercitio virtutum, applicatione, labore, praxi comprobata. *Deus enim non irridetur, sed quacunq; homo seminaverit*, id est perfecerit, *hæc & metet. Galat: 6.*

Reflexio. S. Antonius M. refertur fuisse tam cupidus virtutis, ut quemcunq; audiret, in aliqua virtute excellere, illum conaretur imitari. De primis Socijs Patriarchæ nostri D. Francisci legimus, eos hoc unicum sibi proposuisse, ut non parcerent ulli labori, studio, violentiæ orationi, donec ad supremum gradum hujus vel illius virtutis pervenissent. Tu te examina an similem saltem unius virtutis assequendæ cupidinem, esuriem, sitimq; in corde senseris, in opere monstraveris. Quis scit, an non aliquando in corde dixeris: satis jam egi, satis sum continens, devotus, mortificatus &c. licet forsan aliter sit coram Deo. Vide! an locum tibi promittas inter beatos qui esuriunt & sitiunt justitiam? Dole potius coram vidente omnia Deo, de tua tepiditate, posce ab illo sancta, ferventiora, efficaciora desideria, & sæpe ora cum Davide: Desiderium pauperis exaudi Domine, præparationem cordis mei exaudiat

auris tua. Et præsertim unius virtutis excita flagrans desiderium, in qua te segniter exercuisti, contra quam sæpius delinquis, de qua toties admoneris à Deo, à Superiore, à Confessario, si enim unam avide non persequeris, quidni & aliam?

Recollectio de Castitate.

CAstitas desideria carnis nata est comprimere Itaq; de illa te examina. 1. Quam ardens habeas desiderium conservandi castitatem mentis & corporis. 2. Quam segniter in commotione sensuum, mentem ad Deum elevasti? 3. Vide si mentem immundis cogitationibus, cor impuris affectibus non occupasti? si hæc strenue rejecisti? si assensum non præbuisti? 4. Si visu fixo, tactu presso, auditu, sermone, lectione inhonestâ nimiaq; libertate sensuum commotioni sensuali occasionem non dedisti. 5. Si famitaritates, teneritudines, conversationes lubricas non quæsivisti, sed cavisti? 6. Si abstinentias aliaq; media edomandæ carnis acceptasti. 7. Si ante somnum à potu calidiori, excessivo, à consortijs, colloquijs incastis abstinuisti? 8. Si aliquid gravius contra juratam castitatem non commisisti? 9. Si fors vel minima commissa expias per pænitentiam? 10. Si omnem indecentiam & inverecundiam caves, etiam circa tuum corpus? Si quæ advertis devia, deplora, humiliare coram JESU Crucifixo, in cujus innocenti corpore, à planta pedis usq; ad verticem, capitis non fuit sanitas. Exerce te in recolenda

ejus

ejus amarissima Passione. Immaculatæ ejus Matri te frequenter commenda, ejus amore statue diligentius castitatem servare, & cætera in praxim deduc quæ habes infra *Tract: v. cap. 3. Institt III.* *Post Completorium* Meditatio *2da.* Communis Preces fundendæ pro Agonizantibus, & reliqua ut ut *1ma.* Die absolvenda. Pacta Scalæ *9na.* & *10ma.*

DIES VI.

Exercitia Antemeridiana.

1. PRæmissa Meditatione de Passione Domini Lectio spiritualis instituenda vg: ex V. Th: kempen. lib. 1. cap: 23. 24. lib. 3. cap. 47. & sequ:

MEDITATIO

De quatuor novissimis

PRÆLUDIUM I. ATtende diligenter grave illud *Spiritus S.* oraculum *Memorare novissima tua & non peccabis. Eccl: c. 7.*

PRÆLUDIUM II. POstula gratiam à Deo, ut memoriæ tuæ, tam salutaris doctrina imprimatur.

PUNCTUM I. INnumera prope modum sunt quæ nos ad Dei amorem, cultumq; virtutis alliciunt, ad non peccandum ob-

ſtringunt, ut ſumma Dei noſtri Dignitas, bonitas liberalitas, ipſaq; Salus & æterna beatitudo noſtra. Præter hæc tamen Spiritus S. quatuor nobis obſtacula peccandi, Deum & ſalutem amittendi proponit, nempe Mortem noſtram, Judicium Dei, Infernum, & Gloriam cæleſtem quaſi unicuiq; noſtrum diceret: Si te ô homo à peccando, ab offendendo, à contemnendo Deo tuo non retinet amor Dei, imo nec amor tui ordinatus, ſi non pulchritudo virtutis, ſi non deformitas peccati, ſaltem memorare noviſſima tua. Mortem quæ te omnibus amatis & vitâ ſpoliabit. Judicium Dei ſeveriſſimum quod non effugies. Infernum quem fors toties meruiſti. Gloriam cæleſtem cujus adeptioni non ſtrenuè laboraſti, quam tamen ni cæcus & excors es, deſideras. Memorare hæc frequenter, conſidera profunde, & non peccabis.

PUNCTUM II. DUo ſunt ex quatuor noviſſimis quæ nullus noſtrum effugiet. Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium Hæbr: 9. Mors eſt momentum à quo pendet æternitas! Judicium Dei eſt dies decretoria, aut certæ ſalvationis aut certæ damnationis! nonne cogitare de his ſenſus eſt conſummatus, occupatio ſancta, negotium ſalutare? Quam ſollicite recogitantur dies vel horæ, à quibus pendet lucellum temporale, promotio humana? Dies vel horæ, à quibus pendet Judicis humani in negotio gravi deciſiva? Quanto diligentius humanam

nam debet memoriam occupare mors inevitabilis, Judicium Dei inexorabile? Quid jam te ô homo præparabit ad placidam, securam, pretiosam mortem sanctorum, si non ejus memoria frequens more sanctorum? Quid tibi assecurabit optatissimam Judicis Dei sententiam, nisi memoria, apprehensio, consideratio supremi Judicis & judicij? Hæc recogitantes, horum memoriam sibi refricantes adhuc sunt in periculo! tu nihil horum apprehendens, quasi extra te hæc duo forent, poteris esse securus? non peccabis liberius, gravius, frequentius? non incurres mortem pessimam peccatorum? non mereberis durissimum judicium Dei quod contemnis?

PUNCTUM III. DUo alia novissima sunt incertæ aleæ. Infernus & Paradisus, pæna perpetua, & gloria æterna. Unum ex his extremis hominem expectat, justum illa gloria, impium illa pæna. Inferni memoria excitat in nobis sanctum justum, & salutarem timorem. Gloriæ cælestis recordatio, excitat nos ad laborem pro tam sublimi præmio, pro tam copiosa mercede. Num frustra nobis Deus per S. Scripturam, per Ecclesiam, per Revelationes certas, ob oculos ponit inferni pænas acerbissimas, incessabiles, æternas? nisi ut timeamus eum, qui potest & corpus & animam nostram mittere in gehennam, & exinde nunquam semel condemnatos dimittere, sed torquere semper, cruciare semper; num frustra

nobis

nobis præsentat & promittit amantissimus nostri Deus, cælestem illam gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; & bona ineffabilia, inæstimabilia, æternalia quæ diligentibus se præparavit? nisi ut pro his bonis, pro beatitudine nostra breviuscule laboremus, illius desiderio ferveamus, illius ipse in hoc exilio consolemur: timendo Deum, laborando pro Deo non peccemus? Ergo ne Boni Dei vota frustrabimur, nihil de inferno, de gloria æterna cogitando? Viveíne securus ô homo? vives ne innocens, viveíne certus æternæ felicitatis, serenæ conscientiæ, immaculatæ vitæ, si cæli & inferni memoriam è mente excludes? ne præsume, ne erra! Memorare novissima tua & non peccabis!

Reflexio Quæ frequentius obversantur oculis tuis quam novissima hominis? quot cernis cadavera, tot habes monita tuæ mortis, & ipse suffixus in Cruce JESUS quem toties aspectas, nonne tuæ quoq; mortis est speculum? Toties de judicio Dei, inferno, & cælo, legis, audis, meditaris. An tamen hæc omnia & singula profunde imprimis cordi tuo? An in occasionibus peccandi revocas in memoriam novissima tua? An te non tangit illud quod quidam pie ac sapienter dixit: Cantantur hæc, leguntur hæc, videntur hæc, ridentur hæc! Et tamen quolibet die, horâ momento, propior es morti, judicio. Vide autem num ad portas mortis appropinques, num ad januam cæli tendas vitâ tuâ? Describe, non jam in parietibus domus tuæ [ut nonnul-

nonnulli faciunt] sed in tabulis cordis tui, hæc 4. Mors. Judicium. Pæna. Gloria. Mors ubiq; me expectat! Judex astat ante januam! Infernus aperuit os suum! Cælum ô quam pulchrum est, an propter me? verbo: Memorare novissima tua & non peccabis.

Exercitia Pomeridiana

MEDITATIO

De Perseverentia in bene cæptis.

PRÆLUDIUM I. POndera illam dilecti Christi Discipuli S. Joannis doctrinam, & fulminationem. *Videte vosmetipsos ne perdatis, quod operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. 2. Ioa: 2.*

PRRÆLUDIUM II. ORa humiliter Deum ut hoc fulmen doctrinæ Apostolicæ profunde vibretur in Cor tuum.

PUNCTUM I. NOn ille censetur dives & opulentus, qui diebus ac noctibus cogitat de accumulandis opibus, nec ille qui illas diligenter ac solicite coacervat, sed qui eas non dispergit, at cavte conservat. Non unus ho-

minum porro, dicit in corde suo: Dives sum & nullius egeo! Non parco labori in exercendis bonis operibus, in tot Examinibus conscientiæ, quotidianis & annuis, discutio augmenta & decessus meos in spiritu. Annoto mihi salutaria proposita de cavendis defectibus, de exercendis virtutibus, & servo in memoria, sed ne dicat illi in aurem *S.* Angelus Custos: Dicis quod dives sum & nullius egeo, & ego dico tibi quia tu es pauper & cæcus, & miser & miserabilis! Cogitasti multa bene, Exercitia *S*piritualia etiamnum absolvisti, & alias multis vicibus, collegisti spiritum, multos pios affectus, actus, protestationes, detestationes elicuisti, formasti & annotasti bona proposita, concepisti melius vivendi sancta desideria. At post tot in hac sancta occupatione labores, an congregata non dispersisti, an servas quæ sanctè proponis? an perseveras in hoc fervore devotionis, humiliationis tui quo in Recollectionibus exarsisti? non quæruntur in Christianis initia, sed finis & perseverantia. Vide ergo temetipsum ne perdas quod operatus es, cui tantum temporis & laboris impendisti?

PUNCTUM II. JUstus & fidelis Deus in promissis suis famulantibus in Aula sua, laborantibus in vinea sua, nempe in Ecclesia Dei vel *S.* Religione elargiri consvevit mercedem juxta meritum operis. Quis non exoptet de manu illius mercedem copiosam & magnam in cælis?

lis? Quis non desideret ut mensura coagitata & superefluens detur in sinum ejus? Quis non cupiat pro labore tot dierum, annorum in Divino servitio, in exercitijs spiritualibus, ut ipse Deus sit merces ejus magna nimis? Sed agit nobiscum Cælestis ille Paterfamilias, ut humani cum suis operarijs, qui offerentibus se ad labores & strenue ac fideliter operam assumptam navantibus, plenam mercedem retribuunt; at solum te offerentibus laborare proponentibus, interim mentientibus aut parum vel langvide operantibus, aut non plenam mercedem aut sæpius pænam ignaviæ reddunt. Obtulisti te Deo toties in recollectionibus, etiam in hac novissime, ad fidele servitium, ad vitam sanctius, melius, purius instituendam, obstrinxisti tot propositis, consignasti ea sciente ac spectante Deo. Quanta tibi in ijs exequendis incumbit fidelitas & constantia? quanta in assumpto itinere majoris perfectionis, perseverantia? Vide ergo temetipsum ne perdas quod operatus es, sed ut mercedem plenam accipias non pænam mendacij, fraudis, illusionis à Deo Judice & Domino tuo.

PUNCTUM III. NOta est illa Christi. D. Sententia *Luc: 9.* Nemo mittens manum ad aratrum & aspiciens retro aptus est regno Dei, sed longe terribilior illius Discipuli: Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet *2. Ioan: c. 9.* Quid sunt quæso dictamina spiritûs cordi tuo impresse,

formata proposita salutaria, in alijs & in hac Recollectione? si non doctrina Christi menti tuæ instillata, ob Illius merita & pretiosum sangvinem tibi collata, inspirata? Ita profecto & non aliter. Ipse enim *Salvator* tuus est fons sapientiæ in excelsis, de cujus plenitudine omnes accipimus gratias illustrantes & moventes ad bonum, instinctus salutares, desideria sancta. Ipse est semper vivens in cælo ad interpellandum pro nobis, ut nostra Exercitia spiritualia sint nobis meritoria & fructuosa, Deo grata, & honorificata. Quid ergo sperandum, imo quid non timendum, si à conceptis toties, & nunc bonis propositis tanquam à doctrina Christi ut quidam Apostata recedes? quid si non permanebis, non perseverabis in ijs servandis exequendis fideliter? Quid magis verendum dici potest? *Non habebis Deum*: Quod si servaveris, quod si ab hac Recollectione fidelior in Dei servitio, in oratione devotior, in passionibus temperantior, votorum observantior, in dies perfectior evaseris, quid tibi sperandum? Affecurat te Christus. *Matt 10.* Qui perseveraverit usq; in finem hic salvus erit.

Reflexio Tot mille bona proposita feci in vita mea, præsertim in Recollectionibus meis, tam pauca effectuavi, tam raro in mentem ea revocavi, tam parum de eorum sterilitate, de mea infidelitate coram Deo pænitui. Adhuc ne mendax & perjurus ero Deo meo? Ah! dixi: nunc cæpi, ô sit in me mutatio dexteræ Excelsi! Tu Domine scis desiderium meum & gemitus meus à te non ab

scondi.

sconditus. Da quod jubes, & jube quod vis.

Recollectio de Patientia.

PAtientia opus perfectum habet *Iacobi 1.* & alia quidem est patientia in executione Verbi Divini sive auditi sive intus à Deo in meditationibus inspirati, de qua Christus innuit dicens: *Quod autem in terram bonam cecidit, hi sunt qui in corde bono & optimo verbum retinent, & fructum afferunt in patientia Luc: 8.* Alia est in sufferendis quibuscunq; internis & externis tribulationibus & adversitatibus Itaq; ut opus tuæ Recollectionis sit perfectum, examina te *1mo.* Circa *1mam* Patientiam, idq; 1. An cordate & libenter præcepta Dei, Ecclesiæ, Regulæ tuæ, Superiorum monita [quæ omnia sunt voces Dei] suscipis, sustines, exequeris, absq; remurmuratione? 2. Si fortibus Divinis instinctibus, quos ipse judicas tibi multum esse salutares, corde bono, & absq; renitentia obsecundas? 3. An aliquem laborem in ijs exequendis, patienter subis, & dulcoras tibi amore Dei, humili obsequentiâ, firmâ spe in Deo. 4. An ob tædium & impatientiam internam à bonis propositis, à virtutum exercitio non recedis?

2do. Circa Patientiam *2dam*, idq; 1. Si in adversitatibus animi vel corporis, non cogitas, aut loqueris stultum aliquid contra Deum? 2. Si Superiorum monita, reprehensiones, punitiones miti animo, non rugato supercilio, non furenti corde suscipis, nec similia effugere curas per mendaces

excusationes, per querelas, gemitus &c. 3. *Si* in veris aut immaginarijs læsionibus à quocunq; rancorem foves in corde, vindictam meditaris, & in opere exerces? 4. *Si* ore seu sermone læsivo, punctivo, maledictorio, contumelioso. *Si* signo vg. minaci vultu, torvo oculo, stridore dentium, rugatâ fronte impatientiam non demonstras, & multos pacem habentes conturbas? 5. *Si* non es Religiosus, clamorosus, furiosus? 6. *Si* ex impatientia non fuisti aliquando, aut non finxisti te infirmum, ægrotum? 7. *Si* à primo impetu cito vel forsan tardissimè defervescis? 8. *Si* injurias, læsiones, contemptus, offers Deo ex corde, & in Christi Vulneribus eos sepelire consvevisti? 9. An in ægritudine non es morosus, impatiens, molestus, ingratus *Superioribus*, Medicis, servitoribus? 10. An, quot, heroicos actus patientiæ vg: hoc anno elicuisti, & opere comprobasti? 11. An aliquando serium in animo conceperis desiderium: pati & contemni pro Deo, amore, imitatione Patientissimi *Salvatoris* tui? *Si* quæ huic virtuti advertis contraria, ô quam confundi ac erubescere debes coram Christo & *Sanctis* ejus, quorum & tanta habes exempla patiendi. Dole ex animo quod tuâ impatientiâ in executione Verbi Divini, ineptum te feceris ad percipienda ea quæ sunt *Spiritus*, ad gustanda solatia cælestia. Tuâ in adversis intolerantiâ, pacem internam amisisti, externam sustulisti, tot merita & coronas amisisti, causam ægritudinum, abreviationis vitæ tibi dedisti, & forsan jam habitum

bitum impatientiæ contraxisti. Redi ad JESUM patientiæ Magistrum, & audi illam lectionem. Di- scite à me quia mitis sum & humilis corde. Pro- pone sæpius in illis actibus te exercere: Pati non mori! Domine propter te! Tibi ô JESU hoc do- no, dedico! In Vulneribus tuis recondo! In Late- re tuo repono! Sub transfixis pedibus tuis appen- do! Volo Domine pati quia jubes, quia dignus es, quia Deus es!

Post Completorium Meditatio *2da.* Communis Pacta Scalæ *11ma* & seqq. Demum hac ultima Die institue generale Examen conscientiæ sive ex tota vita, sive ex hujus anni tractu, ea maxime pecca- ta annota & confitere, quæ graviora judicas, in quæ laberis frequentius & non emendas, quæ præ aliis gravant conscientiæ tuæ, quorum confessio majorem tibi erubescentiam potest adferre, ut tan- to magis humilieris coram Deo, &c. *Nota* pro semper, ut primam aciem mentis convertas & in- tendas ad peccata quasi Insensibilia, quæ in appeti- tu rationali nidum habent & in abditissimis pene- tralibus cordis latitant, & speciosis prætextibus palliantur. Talia sunt. Amor proprius. Superbia, Ambitio. Invidia, æmulatio, pertinacia, abundan- tia in proprio sensu, avaritia tacita sed ardens ad res magnas sive parvas quoquomodo procurandas, acquirendas retinendas. Nam hæc peccata quanto sunt reconditiora tanto minus aspectabilia, perce- ptibilia, conscientiam torquentia, sed tanto magis quoq; periculosa, ut causæ intrinsecæ innumero-

rum

rum & gravium delictorum. Deinde oculum mentis dirige ad peccata sensibilia, quæ in appetitu sensitivo vel irascibili nidulantur. Ut sunt Gulositates Intemperantiæ, Impetuositates, effusiones lingvæ, libertas nimia sensuum, lenocinia, & conniventiæ carnis, morum incompositio, ignavia ad labores mentis & corporis, contentiones, rixæ transeuntes, & similia, quæ per sensus hominis commissa quasi palpabilia sunt. Peracta vero Confessione & Communione, concludes totum Recollectionis tuæ Exercitium speciali ad Deum oratione vg. hâc similive formâ.

Domine Deus meus, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit tanquam à Patre luminum, qui cor meum excitasti ad peragenda hæc Exercitia, prostratus in abyssum nihili mei Te primum mei Principium ultimumq; Finem humillime recognosco pariter & adoro, in Te unicum cordis mei centrum toto amore, fide, ac spe tendo, quid quid te movente cogitavi, Te illuminante cognovi, Te inspirante decrevi, in Te solum refundo, Tibiq; Authori omnium bonorum toto corde in homagium in tributum, in honorem nominis tui offero. Tibi Domine gratias refero pro omnibus auxilijs gratiæ, luminibus internis, motibus, affectibus, actibus pijs, hoc octiduo mihi impressis, pro conceptis sanctis desiderijs, salutaribus propositis. Laudo & magnifico infinitam Potentiam tuam ô Pater æterne, quæ mihi concessit vires naturæ & gratiæ, Altissimam Sa-

pien-

Sapientiam tuam ô Fili Dei quæ illuminavit mentem meam. Inexhauſtam Bonitatem & Charitatem tuam ô *Spiritus Sancte*, quæ voluntatnm meam excitavit, cor meum duriſſimum emollivit, ad amandum te ferventius, ad ſerviendum tibi fidelius. At quia Tu ſolus Domine quæ creaſti conſervas, & qui das bonum velle das & perficere, ad Te ſupplex recurro. Viderunt enim imperfectum meum oculi tui, nota ſunt Tibi continua mendacia & perjuria mea coram Te. Tu Domine ſcis inſipientiam & miram perverſitatem meam, quia quæ tibi vovi non reddo, quæ ſtatui non impleo. Mundi ſunt oculi ne videant ultra hoc malum & ne reſpiciant hanc iniquitatem meam. Tuam igitur abyſſalem miſericordiam invoco, ut jam de cætero fidelitatem meam Tibi comprobem, nec illudam Tibi ô Majeſtas, ô Veritas omni honore digniſſima. Et confiſus infinitæ Bonitati tuæ, ſicut præſentem Te ubiq; Deum ſancte agnoſco, ita de præteritis omnibus peccatis meis tui amore toto corde doleo futura quæcunq; deliberata vitare firmiſſime propono, cæteraq; Tibi nota animi mei propoſita conſigno Vulneribus & pretioſo *Sangvine* amantiſſimi *Salvatoris* mei JESU Chriſti, & ea ſervare cum gratia tua efficaciſſime volo. Quæcunq; autem bona & ſancta in hoc octiduo cogitavi, ea volo totâ vitâ meâ continuare, & in agone ultimo elicere, quæcunq; peccata ſum deteſtatus, ea pro toto tempore ac æternitate mea deteſtor, execror & ejuro.

O Chriſte JESU *Salvator* & Amator mi Dilectiſſime, ſub vulneratis pedibus tuis ſiſto me, ululo tanquam caniculus unus, & peto Te per omnes miſerationes tuas, per omnem amaritudinem Paſſionis mortisq; tuæ, ut pro me Vadem & Advocatum agas ad totam *SS.* Trinitatem omniaq; bona propoſita mea illi præſentes, confirmes, & in Te me deinceps ambulare in novitate vitæ & *Spiritûs* facias, qui es Via, Veritas, & Vita.

O Mater Dei & Virgo Maria, ô dulcis Advocata mea! ô Mater *Sanctæ* ſpei, ſub tuis quoq; Virgineis plantulis depono me totum, repono omnia cordis mei propoſita. Ora pro me ut ea impleam, & Cordi tuo Materno complaceam.

TRACTATUS V.

De Virtutibus Asceticis ac Exercitijs earundem.

QUandoquidem homo Religiosus ex vi suæ Vocationis obligatus sit ad perfectionem tendere, hæc verò tanquàm corpus ex membris, arbor ex ramis, sic ex virtutibus coalescit, idcircò brevis saltem instructio hic traditur de Virtutibus assequendis, exercendis, & prosequendis, ac de singularum qualitate, gradibus, motivis, actibus, compendiosa Institutio proponetur. Interim

Quæritur 1mo. Quid est Virtus? *Respon:* Virtus est bona qualitas mentis, reddens hominem pronum ac promptum ad bona opera secundùm rectam rationem exercenda. Ita in re omnes Philosophi ac Theologi.

Quær: 2. Unde hoc nomen, *Virtus* sortitur? ℟. cum *S.* Bonaventura; quia est quasi vis intus, idest interna, non in corpore sed animo residens, per quam homo contrarijs passionibus, tentationibus, alijsvè impedimentis resistit. Vel quia est, *virum tuens*, à contrarijs videlicet defectibus & delictis, veluti scutum aptatum humero, tuetur ab ictibus & jaculis.

Quær: 3. Qualisnàm est status hominis virtuosi? ℟. 1. Est DEO honorificus, nam sola virtus parit Deo gloriam, unde *Eccli 16.* dicitur: Melior est

enim unus timens Deum, quàm mille filij impij. *2do.* Est homini operanti jucundissimus; quod illustrat Ludovicus Granatensis eâ similitudine. *Sicut* in itinere labor, in termino verò quies est jucundissima; ita licet iter ad virtutem arduum sit & difficile, possessio tamen illius est plena voluptatis.

Quær: 4. Quotuplices sunt Virtutes? ℞. *Imo.* sunt duplices. Aliæ in intellectu, aliæ in voluntate, nam aliæ illuminant intellectum, ut, Fides, *Sapientia*, Prudentia. Aliæ verò moderantur voluntatem, excitant, inflammant, ut Charitas, Justitia, Patientia. *2do.* sunt duplices; Aliæ sunt Theologicæ & supernaturales, quas ipse Deus infundit animabus, & hæ ipsum Deum habent pro objecto & termino, ut sunt Fides. Spes & Charitas. Aliæ sunt Morales, per actus frequentatos acquisitæ, & hæ ad mores bene ordinandos inserviunt. Ex his.

Aliæ *sunt Cardinales*, quasi cardines aliarum virtutum, ut sunt: Prudentia, Justitia, Temperantia & Fortitudo. *Aliæ Capitales*, quæ vitijs capitalibus opponuntur, & sunt: Humilitas, Largitas, Mansvetudo, Castitas, Abstinentia, Devotio, & Patientia. Aliæ *Integrales*, quæ integrant perfectionem totam, uti Obedientia, Paupertas, *Silentium*, Modestia, Pænitentia &c. Licetsi verò Morales Virtutes ordinariè per actus frequentes, & cum labore acquiruntur, cæterum quandoquè electis animabus, divinitùs seu ab ipso Deo infunduntur; cum *S. Scriptura* & historica fides nos doceat, nonnullas animas, ab infantia planè, perfectis virtutibus fuisse decoratas.

Quær:

Quær: 5. Quonam modò virtutes acquisitæ generentur in anima? ℞. *Imo.* cum Hugone à S. Victore, qui comparans virtutem arbori vitæ dicit: Arbor est quæ per timorem seminatur, per gratiam irrigatur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per spem viret, per circumspectionem frondet, per disciplinam floret, per doctrinam fructificat, per patientiam maturescit, per mortem carpitur. ℞. *2do.* Practicè cum Alphonso Rodriquez, p. 1. Tr: 1. c: 2. qui hæc media virtutis assequendæ porrigit. 1. Magnam de virtute æstimationem concipere, 2. Magnopere illam desiderare uti faciebat *S.* Antonius M: nam ut docet *S.* Hieronymus: non sufficit velle justitiam, nisi & famem illius patiamur. 3. Insignem in virtutibus consectandis conatum adhibere. 4. Deum frequenter & ardenter pro dono virtutum obsecrare, nam omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit à Patre luminum *Iacobi 1.* 5. Ad Majorem semper profectum anhelare; nam ex *S.* Bernardo. *Epis: 91.* Ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. *6.* Etiam alienas Virtutes amare: nam ut probè *Seneca:* Scias eum multis Virtutibus abundare, qui alienas amat. *7.* Virtutis amatorum consortio frui, nam juxta *Psalm: 17.* Cum *S*ancto *S*anctus eris, & cum innocente innocens eris

Quær: 6. Quænam sunt signa Virtutis acquisitæ? ℞. ex P. Daniele Zielinski. hæc esse: 1. *Si*

~~non habetur~~ Vitium oppositum, Virtuti. 2. Si in exercitio Virtutis non retinetur ab eodem Vitio opposito. 3. Si passiones hominis sint in temperamento. 4. Si habetur facilitas, & gaudium in executione Virtutis. 5. Si pacifice eadem Virtus possidetur. 6. Si habetur ardens desiderium, & frequens recordatio ejusdem Virtutis. 7. Si heroicis quoq; actibus exercetur.

Quær: 7. Quare unus magis proficit in Virtute, alter minus? ℟. Ex his causis. 1. Quia Deo sic placet, qui dat auxilium gratiæ ad Virtutem. 2. Quia complexio unius magis est consona huic Virtuti quam alterius. 3. Quia unus plus se exercitavit in hac Virtute, quàm alius. 4. Quia unus minus oppugnatur à vitio contrario illi virtuti, alter magis. 5. Quia unus majorem habet discretionem, & desiderium hujus Virtutis quàm alter.

Quær: 8. An sunt varij gradus Virtutis? ℟. cum S. Greg: hom: 15. in Ezech: *Unaquæq; Virtus habet initium suum, & profectum, & perfectionem.* Doctor vero Seraphicus l. 2. de prof: rel: c. 24. dicit: *Triplex potest esse status cujuslibet Virtutis, est quædam in pulchritudine floris, quædam in ubertate fructus.* Unde sequitur, quod alius Virtutis gradus sit incipientium, alius proficientium, alius perfectorum. Jncipientes enim exercent Virtutes, ut ab oppositis Vitijs purgentur. Proficientes, ut purgati magis DEO placeant, & illuminentur. Perfecti, ut per Actus Virtutum, ardentissime Deo uniantur.

Quær:

Quær: 9. An quælibet Virtus est meritoria? ℞. Duplicem esse Virtutem. Alia est *Politica seu Philosophica* quæ exercetur ob honestatem, vel pacificam hominum cohabitationem. Alia est *Christiana & Ascetica* quæ exercetur ob DEUM. Virtus igitur Politica nullam à DEO mercedem promeretur, sed tantum Christiana. Cæterum sicuti actus ex se indifferentes, si dirigantur ad Dei gloriam fiunt boni & meritorij, ita Virtutes quoq; Politicæ, si ad hunc finem ordinantur. Porro ne Virtutes nostræ reddantur steriles, in earum exercitio tales intentiones convenit habere vg. 1. Ob amorem & gloriam DEI, etiamsi nullum esset præmium Virtutis, 2. Ob timorem severæ DEI Justitiæ. 3. Ob honorem & gaudium Ecclesiæ triumphantis. 4. Ob utilitatem, & exemplum Ecclesiæ militantis, Religionis suæ &c. 5. Ob acquisitionem perfectionis. 6. Ob meriti mercedem, & similia motiva.

Quær: 10. Quæ necessario requiruntur ad Virtutem Christianam? ℞. hæc tria. *Imo.* Gratia Dei, actualis, seu auxilium speciale, per quod homo excitatur, allicitur, & adjuvatur ad actum Virtutis. *2do.* Gratia habitualis, seu *S*anctificans, nam sine illa [ut sit in homine existente in peccato mortali] opera virtutis nascuntur mortua, per illam vero fiunt viva, supernaturalia, & digna vitâ æternâ. *3tio.* Voluntas nostra bona, quæ gratiæ Divinæ cooperetur, & in actus Virtutum prodeat.

Quær: 11. Ad quid prosunt Actus Virtutum, si

homo

homo existit in peccato mortali? ℞. Ad hæc: Aptant cor ad bonum. Minuunt pænam. Occupant honeste mentem. Assvefaciunt. Delectant animum Mitigant fomitem peccati. Dant bona terræ. Ædificant proximos; Arcent graviora peccata.

Quær: 12. Quid corrumpit omnes Virtutes? ℞. *1mo.* Vana gloria, dum hæc intenditur ex operibus. *2do.* Desidies seu ignavia, nam cum hac fiunt actus remissi, & pleriq; omissi. *3tio.* Indiscretio, dum vel remisse nimis, vel nimis intense fiunt. Proinde, fere quælibet Virtus potest esse vitiosa, vel per defectum, vel per excessum.

CAPUT I.
De Virtutibus Theologicis.
Institutio 1ma.
De Fide Theologica.

Fides est Virtus infusa animæ à DEO; per quam homo firmiter assentitur omnibus quæ ad credendum sunt à DEO proposita sive per se, sive per Ecclesiam.

Hæc Fides manet in solis veris Chistianis, id est Catholicis, quia in baptismo infunditur, & per infidelitatem ab eis non tollitur, sicut ab hæreticis.

Motiva hujus Fidei retinendæ in anima & exercendæ, sunt hæc potissimum. 1. Quia tot oraculis Prophetarum quæ omnino sunt impleta, firma-

firmatur. 2. Quia tot miraculis Christi & SS. est roborata. 3. Quia tot Martirum professione & sanguine est consignata. 4. Quia Evangelio Christi, & rectæ rationi consonat, & nihil dictat nisi pium, honestum, & sanctum.

Gradus. Fidei sunt hi 1. Credere DEUM, id est agnoscere & confiteri, quod sit unus in substantia, Trinus in Personis, infinitus, immensus, Æternus, Omnipotens, Sapiens, Justus, & omnimode perfectus, Creator, Redemptor, Sanctificator, Judex noster &c. 2. Credere DEO, id est assentiri omnibus his, quæ DEUS per Filium suum, per Prophetas, Apostolos, & per Ecclesiam credenda tradidit, idq; ideo, quia DEUS verax est, & fallere non potest. 3. Credere in DEUM, id est actibus Fidei Vivæ tendere ac ferri in Deum, ut centrum, Objectum, & principium fidei nostræ.

Actus Fidei Practici. 1. Captivare & subijcere Intellectum DEO loquenti per Ecclesiam, scripturam, traditiones & decisiones Ecclesiæ. 2. Credere & profiteri omnes articulos fidei, ob summam DEI Authoritatem, & veracitatem; 3. Agnoscere solius DEI opus in Sacramentis, Ritibus, & ceremonijs Ecclesiæ. 4. Profiteri Fidem palam, nec erubescendo, nec timendo, etiamsi nescio quæ, mala & ipsa mors exinde toleranda foret. 5. Adorare DEUM in spiritu & veritate quàm frequentissime. 6. In Fide & Mysterijs ejus rudes instruere. 7. Consortia hæreticorum, ut filiorum diaboli quantum fas est devitare. 8. Detestari omnes doctri-

nas Fidei Catholicæ contrarias. 9. Nec legere, nec audire absq; justa causa libros hæreticorum. 10. Actus Fidei erga DEUM saltem quolibet die exercere. 11. Sacrificijs assistere, Sacramenta sumere, cum magna fide. 12. Curare omni Studio ut Fides viva sit in corde, id est peccato lethali non mortificata. 13. Fidem bonis & Sanctis operibus comprobare.

INSTITUTIO II.

De Spe Theologica.

SPes est Virtus infusa animæ à DEO, per quam cum fiducia expectamus bona salutaria, nempè veniam, gratiam, & gloriam æternam in cælo.

Hæc Spes manet in anima hominis Christiani, quousq; in præsumptionem de misericordia DEI, vel desperationem voluntarie & deliberate non inciderit.

Motiva Spei nostræ sunt hæc: 1. Quia DEUS est infinite bonus. 2. Quia vult & jubet sperare in sua bonitate. 3. Quia sperantem in Domino misericordia DEI circumdat ut dicitur. *Psalm:* 31. 4. Quia Spes non confundit. *Rom:* 5. & nemo qui speravit in Deo est confusus. *Eccli:* 5. 5. Quia Spes in DEO, omnes vitæ labores & dolores lenit, ac dulcorat. 6. Quia si confidimus in homine, quantum sperare deebmus in DEO?

Gradus Spei sunt tri. *imus.* Expectare à DEO bona

bona salutaria, cum gaudio & fiducia. 2. Expectare eadem bona cum desiderio, tædio, & frequenti aspiratione ad DEUM. 3. Expectare à DEO eadem bona cum absorptione mentis & cordis in DEUM; qualis spes solet esse in Viris perfectis.

Actus. Spei; Practici. 1. Præsumptuosas cogitationes de bonitate DEI nusquam admittere, imo nobis ipsis diffidere, & cum humilitate salutem nostram operari. 2. Desperatorias quoq; cogitationes, uti provenientes à diabolo æternum desperato, ex corde totaliter excludere. 3. Sperare per merita Christi, & nostra cum gratia DEI visionem DEI, & fruitionem Ejus in cælo. 4. Sperare glorificationem Corporis nostri in cælo. 5. Sperare à DEO media & auxilia ad resurgendum de peccatis, ad bene operandum. 6. Passionem Christi JESU, Opitulationem. Bmæ. V. MARIÆ. SS. Angelorum & Patronorum pro fomento Spei sæpe sibi proponere. 7. Ob spem bonorum æternorum gaudere in spiritu. & lætanter pro DEO agere & pati. 8. In tentationibus, doloribus, persecutionibus, necessitatibus, spem in DEUM erigere, cum resignatione animi. 9. Ob spem æternorum terrena bona heroicè contemnere. 10. Ad spem excitandam recogitare tot beneficia, gratias, solatia, protectiones, quas jam à DEO recipimus; 11. Spem magnam in hominibus nunquã ponere, quæ alit, & fallit.

INSTITUTIO III.

De Charitate Theologica.

CHaritas est Virtus infusa animæ à DEO, qua DEUS diligitur propter se, & proximus propter DEUM.

Adverte 1. Hæc virtus manet in anima hominis Christiani, quousq; in quodcunq; peccatum mortale non inciderit. 2. Charitas DEI & proximi, est unica Virtus indivisibilis, quia idem habet objectũ & motivum, nempe DEUM; proinde amor Dei & proximi sicuti inseperabiliter oriuntur, ita & intereunt, nec vere homo potest amare DEUM, si non amet proximum; & e contra. 3. Charitas DEI est idem habitus seu donum cum gratia sanctificante, vel saltem ut aliqui docent, sunt dona inseperabilia; idcirco dum per mortale peccatum excluditur gratia sanctificans ex anima, tollitur etiam Charitas, nec una sine alia potest existere. 4. Officia Charitatis sunt alia erga DEUM, alia erga proximũ. Proinde & modus diligendi DEUM est alius, diligendi proximum est alius. Nam DEUM amare debemus ex toto Corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus nostris, proximos vero tantum sicut nosmetipsos; ut ipse Christus docet: *Math:* 22. Motiva demum amandi DEUM sunt alia, proximum alia, nam. *Motiva*.Charitatis Dei sunt hæc potiora: 1. Ipsa DEI bonitas quæ illi est connaturalis, inexhausta, infinita, impermixta. 2. Beneficia DEI erga nos innumera, incessabilia, inæstimabilia, idq; tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ, ac in ordine gloriæ. 3. Ipsa dignitas & excellentia Charitatis DEI, nam hæc Virtus diffunditur in cor-

dibus

dibus noſtris per *Spiritum S.* Diſtingvit nos à filijs diaboli; Reddit nos filios DEI adoptivos, hæredes DEI cohæredes autem Chriſti. Generat, fovet, & congregat, in anima omnes Virtutes. Expellit foras timorem, & affert verum gaudium conſcientiæ noſtræ. Opera etiam minima & indifferentia dignificat, facitq; ſupernaturalia, & ordinis *Divini.* Auget ſuper omnia alia opera, gradus cæleſtis gloriæ. Eſt vinculum omnis perfectionis.

Gradus. Charitatis DEI ſunt hi *1mus* Amare DEUM ſtabiliter, nihil cogitando, aut volendo, quod ſit dilectioni Divinæ contrarium. *2dus* Amare DEUM, fortiter, quæque adverſa amore ejus vincendo, perrumpendo, & in ijs à dilectione DEI non recedendo. *3tius.* Amare DEUM ardenter, majori ac majori intenſione amoris, admodum ignis, qui magis ac magis creſcit, & vim ſuam intendit.

Actus Practici Charitatis DEI. 1. Appretiare ſeu æſtimare DEUM ſuper omnia bona. 2. Gratulari DEO & gaudere de bonis ejus, uti *Sapientia,* Potentia, Bonitate, Pulchritudine, & alijs perfectionibus DEI, ideo quia ipſius propria bona ſunt. 3. Lætari de ejus gloria & honore, quem habet ab omnibus creaturis; à ſeipſo. 4. Deſiderare ut ab omni creatura maxime rationali cognoſcatur; ametur, honorificetur. 5. Frequentiſſime DEI tanquam amati ſui recordari, de eoq; libenter audire, & loqui. 6. Dolere de ſuis alienisq; peccatis, eo motivo quod ſint offenſa DEI, dishonor & injuria. 7. Fortiter proponere apud ſe omnium

DEI mandatorum observantiam, nam juxta. *Ioan.* 14. Qui hebet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me. 8. Etiam consilia Christi pro posse servare, & Divinas inspirationes acceptare, 9. Gaudere de omnibus quæ DEO placent, sive sint nobis accepta, sive adversa. 10. Orare semper à DEO Charitatem, & omne illi contrarium detestari.

Motiva. Charitatis proximi sunt hæc præcipua. 1. Quia DEUS vult & præcipit ut proximos diligamus. 2. Quia DEUS zelat & punit graviter peccata huic Charitati contraria. 3. Quia DEUS & tota cælestis curia amat homines. 4. Quia omnes sumus fratres in Adam & in Christo; & unius Patris filij qui in cælis est. 5. Quia nos omnes amabimus in cælo. 6. Quia in hoc manifesti sunt filij diaboli, & filij DEI, si charitatem invicem habeamus.

Gradus. Charitatis Proximi sunt hi. *Imus.* Amare proximos propter DEUM *Stabiliter*; nihil volendo, aut agendo mali ijsdem. *2dus.* Amare proximos propter DEUM. *Fortiter*, etiam adversa propter eos sustinendo, offensas condonando, & bona temporalia expendendo. *3tius.* Amare proximos propter DEUM *Ardenter*, pro salute proximorum, vires, ingenium, & vitam impendendo.

Actus. Practici Charitatis Proximi sunt: 1. Amare proximum quemq; in DEO, id est recto, prudenti, sanctoq; amore, & propter DEUM quia hoc vult & jubet. 2. Optare proximo bona spiritualia, & temporalia, non præjudiciosa eorum

saluti

saluti, & gaudere de bonis ejus. 3. Condolere, & compati proximo in malis evenientibus, & successibus. 4. Famam, honorem, proximi tueri, ac delicatè tractare, non traducendo, non contemnendo, mala excusando, bona non extenuando. 5. Pro posse juvando ope, doctrinâ, consiliô, promotione, bonò exemplô. 6. Inimicis parcendo, condonando, benefaciendo, & orando pro ipsis.

Nota Ex virtute Charitatis proximè erumpere & procedere multas alias Virtutes, uti *Zelum* propagandæ Divinæ gloriæ, ac procurandæ salutis hominum; *Devotionem* erga DEUM, seu piam affectionem, laudandi, honorandi, DEUM; serviendi & obediendi illi in omnibus. *Pietatem* seu misericordiam erga proximos, quæ est pia affectio ad compatiendum miseris. *Beneficentiam* quæ est pia affectio ad benefaciendum ipso effectu proximis.

CAPUT II.
De Virtutibus Cardinalibus.
INSTITUTIO I.
De Virtute Prudentiæ.

PRudentia est Virtus secundum dictamen honesti præscribens quid expetendum, quid fugiendum, quid agendum, quid omittendum sit. *S. Bernardi* verò *Serm: 49. in Cant: docet:* Prudentia non tam est Virtus, quàm quædam moderatrix virtu-

virtutum, ordinatrixq;, affectuum & morum doctrix, omni virtuti ordinem modumq; ponit, & decorem tribuit, ac perpetuitatem.

Prudentia dividitur. *1mo.* in Naturalem & Supernaturalem. *Naturalis* est quæ ad finem naturalem assequendum media subministrat. *Supernaturalis* est quæ porrigit media ad finem supernaturalem consequendum; ut ad pænitendum de peccatis, ad exercendas Virtutes Asceticas, ad amandum DEUM. *2do.* Juxta D. Thom: dividitur in *Monasticam* quæ ordinatur ad bonum proprium. *in Æconomicam*. quæ ordinatur ad bonum commune domûs vel familiæ. *in Politicam* quæ ordinatur ad bonum commune vg. Regni, Civitatis, Religionis Statûs &c.

Officia Prudentiæ principalia sunt tria. *1mum* est *Consilium* quo media ad assequendum finem honestum vel sanctum, investigantur, & vocatur Græce *Evbulia*. *2dum* est *Iudicium*, quo media magis idonea ad finem assequendum seliguntur, & decernuntur; & vocatur Græce *Synesis*. *3tium* est *Imperium*, quo intelligentia imperat voluntati, ut hæc media *Studiose* exequatur, & vocatur Græce *Gnome*.

Partes integrales Prudentiæ sunt Octo. *1ma* est Intelligentia seu profunda rei cognitio, quæ, fit per notitiam Regularum universalium, Ex quibus metimur quid liceat vel non liceat, quid expediat, quid non? quid sit utile vel non, quid sit salutare vel nocivum. *2da* est Docilitas quæ in hoc con-

sistit

ſiſtit, quòd non innitamur proprio ſenſui, & Judicio, quod ſæpè fallit, ſed prudentum ac ſeniorum conſilio. *3tia.* Ratio, ſeu recta illatio bonarum vel malarum conſequentiarum, ex actione noſtra. *4ta.* Solertia ſeu acuties ingenij, quâ penetramus tam finis intenti, quàm mediorum honeſtatem, & bonitatem. *5ta.* Memoria variarum experientiarum ſuarum vel alienarum. Proinde major eſt prudentia in ſenibus quam juvenibus, quia ſenes plurium ſunt experti. *6ta.* Providentia, ſeu prævîſio futurorum eventuum. *7ma.* Circumſpectio ad omnes rei & actionis circumſtantias. *8va.* Cautio, quæ repellit nimiam audaciam, & ſibi fidentiam, nam & ſapiens perſæpe errat, & graviter errat.

Gradus prudentiæ Chriſtianæ & Aſcenticæ juxta *S.* Bonav: l. de grad: Virt: c. 9. ſunt tres. *1mus.* eſt Ordinare vitam, actiones & mores juxta exemplum & doctrinam, Virorum proborum, & in rebus animæ peritorum. *2dus.* Ordinare vitam &c. juxta exempla & doctrinas Sanctorum. *3tius.* Ordinare vitam &c. juxta exempla & doctrinas Chriſti.

Actus & Signa Prudentiæ. 1. Nihil incipere vel continuare, cujus te poſtea pæniteret, vel puderet. 2. Nihil aggredi temere, & præcipitanter, id eſt vigente affectu, & paſſione vehementiori. 3. Per malum eventum non turbari deliberate, nec in animo concidere. 4. Inordinate in bono eventu non lætari. 5. Nihil magnopere admirari.

6. In risus nimios nunquam effundi. 7. In omnibus actibus attendere ne DEUS offendatur, status prostituatur, proximus scandalizetur. 8. Ita res ad bonos & felices effectus deducere, ut merito credatur id fieri non posse nisi ab homine prudentissimo.

INSTITUTIO II.
De Virtute Iustitiæ.

JUstitia sumitur dupliciter. *1mo.* Generaliter in quo sensu juxta *S. Ambro:* Virtutes complectitur omnes. Et in eodem quilibet homo virtuosus, & *S*anctus vocatur Justus. Hujus vero Justitiæ [quam Christus suis sequacibus commendavit dicens: *Math. 3.* Decet nos implere omnem justitiam) sunt duo Officia: Declinare a malo, & facere bonum. *2do.* Specialiter, & in hoc sensu describitur Justitia, quod sit Virtus inclinans ad jus suum unicuiq; tribuendum. *S*ic vero sumpta dividitur à Theologis, in quatuor Officia juxta quæ *1ma.* Justitia dicitur Legalis; quæ respicit justum & æqvum, quatenus Reipublicæ, aut bono Communi status est conducibile. *2da.* Distributiva; quâ bona communia inter Personas Communitatis, servata proportione meritorum distribuntur. *3tia.* Commutativa, quâ particulares Personæ inter se in commutationibus, & contractibus, æquitatem custodiunt. *4ta.* Vindicativa, quâ Superior suum subditum condignâ pænâ pro delictis suis punit. Asce-

Asceseos vero Magistri alias quatuor species Justitiæ assignant ap: Lochner. *1ma.* Justitia est in DEUM; Cui proinde o homo Ascetice! Debes adorationem, tanquam DEO Deorum; Submissionem tanquam supremo Domino; Obedientiam, tanquam Supremo Legislatori. Oblationem, & Sacrificium, tanquam omnium rerum Authori. Metum, tanquam justissimo Judici. Reverentiam, tanquam infinitæ Sanctitati. Admirationem, tanquam omnium mirabilium causæ, Dilectionem, tanquam amantissimo Patri. Gratitudinem, tanquam liberalissimo Benefactori. Resignationem, tanquam Sapientissimo Gubernatori. Nostra bona, tanquam omnium Datori. Nosmet ipsos, tanquam Creatori, & Redemptori. Uberius de hoc vide Æmilianum Naissl.

2da. Justitia erga Patriam naturalem vel Spiritualem. vg. Statum aut Religionem. *Patria naturali* debemus bonam memoriam, & bonam oblivionem, *Memoriam*, ut pro ejus pace, conservatione, bono ordine &c. DEUM exoremus; & omnia bona eidem exoptemus. *Oblivionem*, ne ad eam, quam DEI amore jam reliquimus, sæpe visendam, inhabitandam; fastidiose, tædiose, importune anhelemus. Memores illius quod dicitur. Psalm: 44. Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. *Patria spirituali* nempe Religioni Sacræ debemus observantiam Rægulæ & legum, amorem & æstimationem intimam, honorem & utilitatem per Vitam exemplarem, per doctrinam solidam, per labores strenuos, per zelum famæ illius.

3tiâ. Justitia erga Parentes tam carnales, quibus debemus etiam Religiosi, tenerrimum amorem, intimam reverentiam, orationem pro eis, compassionem in adversis, consolationem non solum Verbalem sed realem per Vitam honestam, Sanctam, Defunctis vero suffragium usq; ad ultimas Aras. Quam etiam Spirituales, qui nos in Christo genuerunt; qui nos, fovent & educant in Spiritu, ut sunt potissimum Magistri; Professores, Superiores, quibus debemus obsequentiam, amorem, reverentiam, gratitudinem.

4ta. Justitia est erga omnes, quibus juxta diversos gradus, diversa debemus. Omnibus quidem debemus veritatem, omnibus fidelitatem, omnibus dilectionem, omnibus ædificationem, omnibus suam utilitatem & salutem. Deinde Superioribus Obedientiam. Viris in Religione Majoribus respectum ac observantiam. Egenis misericordiam, afflictis condolentiam, inimicis veniam, hospitibus officium, subditis disciplinam, peccantibus correptionem, errantibus emendationem, ignorantibus instructionem, dubitantibus consilium, peregrinis hospitium, desolatis solatium, necessitatem patientibus auxilium, omnibus tam Vivis quam Defunctis orationis suffragium.

Ad extremum vero licet Justitia Philosophicè sumpta sit ad alterum tantum, Ascetice tamen accepta, necessario & meritorie debet esse ad se. Proinde nobismetipsis debemus. 1. *Servare* nos in Vita gratiæ, cavendo omne peccatum, quod solum

occidit

occidit aut maculat animam. 2. Bonum usum, talentorum à DEO acceptorum, & gratiarum ad opera salutaria nobis concessarum. 3. Bonum usum temporis, ad mercandam æternitatem Beatam nobis concessi. 4. Amorem ordinatum & odium sanctum, ne aut nobis Vitam imprudenter abbreviemus, aut amori proprio, desiderijs malis, passionibus, indulgeamus. Nam *Joan:* 12. Christus asserit: Qui amat animam suam perdet eam.

Habes ergo Religiose Actus Justitiæ, Asceticæ, exerce illos, ut inter justos & sanctos recenseare.

INSTITUTIO III.

De Virtute Temperantiæ.

Temperantia est Virtus per quam refrænatur cupiditas circa ea quæ carnaliter delectant, sive sint illicita, sive etiam licita, docente *S.* Prospero *l.* 3. de vita contempl. *c.* 19. Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, & verecundum. Ex quo inferunt *SS.* Patres, quod Temperantia sit moderatrix omnium sensuum, ab eorum lenocinijs. Strictiùs tamen sumpta, potissimum ad refrænandum gustum & tactum ordinata est.

Motiva hujus Virtutis sunt. 1. Dignitas Creaturæ rationalis, quæ non ad hoc est condita ut comedat & bibat, delectetur, & lasciviat, alias bestijs non esset Superior. Unde *S.* Chrisost: adhortatur.

Non ergo invertamus ordinem neq; sic ventri & voluptatibus carnis serviamus, quasi ob eam facti simus. 2. Vilitas & brevitas delectationis sensibilis. Unde *S.* Gregor. *Cum inquit culpa animum tentat, necesse est ut brevitatem suæ delectationis aspiciat, ne ad æternam mortem iniquitas rapiat.* 3. Infelicissimi effectus, qui ex intemperantia gustûs, & tactûs conseqvuntur; sicuti enim Temperantia ignem libidinosæ voluptatis extinguit, & mentem ab omni virtutum tempestate defendit, ita intemperantia ignem illum accendit, corpus inficit, & mentem confundit; 4. Exempla Christi, & *S*anctorum, qui præ cæteris sensibus, gustui & tactui habenas nunquam laxarunt, & ne illicita committerent, etiam à licitis abstinuêre.

Actus Practici ac Media Temperantiæ. 1. Exercitatio animi & Corporis assidua; Quid enim in nobis famem, sitim, desideria sensualia excitat, nisi otium? ut dicit Caff: lib. 10. Instit: c. 6. *Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quàm de escis & ventre &c.* 2. Delicata, exquisita, nimium condita fercula cavere, similiter potus delicatos, qui non necessitati, non sanctitati, sed oblectationi serviant. 3. A jentaculis, merendis, abstinere, nam ista hominibus non existentibus in magno labore & agitatione non sunt necessaria. Certe Christus *S* Magdalenæ de Pazzi per Annos 24. ab his abstinenti dixit: *Propter hanc mortificationem gulæ, præparata est tibi in cælis mensa pretiosissimis cibis.* 4. In commessationes, & crapulam nunquam effundi,

come-

comedendo quasi canine, & bibendo quasi equine, & ingurgitando se bellume. 5. Qualibet die ab illo vel illo ferculo, poculo, obsonio, abstinere. 6. Nunquàm cibis prægravare stomachum, nunquàm inebriari, quod utrumq; Corpori, animæ, honori, decentiæ, est contrarium, & nocivum. 7. Solius oblectationis causâ non balneare, non fricare Corpus, non tangere mollia, non induere, non gestare, in cilitio munditias non quærere.

INSTITUTIO IV.

De Virtute Fortitudinis.

Fortitudo est Virtus animi, quâ labores, pericula, & aliæ occurrentes difficultates constanter suscipiuntur, & perferuntur.

Hæc Virtus juxta D. Thomam est coercitiva timoris, & simul moderativa audaciæ in periculis; nam sicut nimius timor non est Virtus sed pusillanimitas, sic nimia audacia non est Virtus sed temeritas. Unde *S. August.* docet: Quod fortitudo sit considerata periculorū susceptio, & laborū perpessio.

Fortitudo alia est *Philosophica*, quâ subeuntur pericula, vincuntur ardua, ob solam honestatem, vel sui securitatem. Alia *Christiana & Ascetica*, quâ subeuntur pericula, & ardua perferuntur propter DEI gloriam & amorem, ob zelum Fidei, & salutis animarum, ob honorem, integritatem, propagationem status Ecclesiastici, Religiosi. Prior solum est

lauda-

laudabilis; Posterior & honesta & meritoria.

Motiva Fortitudinis sunt hæc potiora. 1 Exemplum Xsti Domini, qui pro nostra salute gravissimis periculis se objecit, usq; ad Passionem, usq; ad Crucem, usq; ad mortem. 2. Exempla *Sanctorum* præcipue Martyrum de qvibus, bene *S. Cypriano*: *Non cesserunt periculis, sed ipsis cessere pericula.* 3. Diaboli confusio & debellatio; nam de hoc hoste vere dicitur: *Est leo si cedas; si stas, ut musca recedet.* Unde S. Petrus adhortatur: *Cui resistite fortes in fide.* 4. Gloriæ ac præmij æterni magnitudo; Quod si enim pro gloria peritura, tantùm audent milites sæculi, quanta debent audere, tolerare milites Christi? Unde V. Thom: Kemp. l. 3. c. 47. hortatur: *Geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus, & majoribus pralijs vita æterna.*

Gradus hujus Virtutis ex P. Lochner sunt tres *Imus* Occurentes adversitates fortî & infractô animô suscipere, maxime si ex improviso accidant. *2dus.* Occasiones agendi & patiendi ardua vehementer desiderare, & Studiose quærere. *3tius.* Cum magna alacritate & gaudio sive quæsitas, sive ultro occurrentes excipere & amplecti.

Actus Fortitudinis ex P. Iac: Alvarez, sunt hi: 1. Pericula mortis, infirmitatis, ob causam DEI, Fidei, Religionis, intrepide aggredi, & sustinere. 2. Pericula famæ, honoris, ob defensionem Virtutis fortiter tolerare; 3. Tentationes dæmonis intrepide sustinere, ac fortiter reijcere. 4. Ardua

quæquæ

quæque cum magna in DEUM fiducia aggredi. 5. Mentis tranquillitatem, vultus serenitatem in adversis casibus retinere, & demonstrare. 6. Pericula, vires nostras excedentia sine anxietate vincere. 7. Seipsum generosè vincere.

CAPUT III.

De Virtutibus Capitalibus.

QUæ hoc nomine insigniuntur à nonnullis Asceseôs Magistris, eo quod opponantur septem vitijs Capitalibus, sintq; ceu fontes & Capita plurimarum Virtutum. *Sit* igitur.

INSTITUTIO I.

De Virtute Humilitatis.

HUmilitas est virtus quâ homo ex intuitu propriæ conditionis vel fragilitatis sibi ipsi vilescit. Vel juxta *S. Aug*: Est ex intuita propriæ conditionis, & sui Conditoris, voluntaria sui ad ima dejectio. Proinde. *Humilitas* est *1mo.* duplex. Nempe; quo ad DEUM, & quo ad homines. DEO humiliamur, ob dona, quæ non à nobis, sed ab ipso habemus. Hominibus ob multiplices defectus quibus scatemus *2do.* est duplex. Alia Cognitionis, alia Affectûs, de quo mellifluè dicit S. Bern: *Serm. 4. de Adv. Considera in verbis*

Christi [discite à me quia mitis sum & humilis corde] *quoniam humilitas est duplex, altera Cogitationis, altera affectionis, quæ hic dicitur Cordis, Priore cognoscimus quod nihil simus, & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria; Posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens, qui etiam quæsitus ad Regnum fugit, quæsitus ad probra sponte se obtulit.*

Motiva Humilitatis potiora sunt hæc. 1. Quod juxta omnes *SS.* Patres humilitas sit fundamentum stabile, radix, Mater & Custos omnis virtutis, perfectionis, & sanctitatis. 2. Quod sit virtus Christi specialissima, ejus verbis ultra omnes alias commendata; ejus exemplo admirabili confirmata. 3. Quod illa præ ceteris Virtutibus homines exaltat, in gratia & gloria, juxta Christi oraculum *Matt. 23.* Omnis qui se humiliat exaltabitur.

Gradus Humilitatis varij à varijs disponuntur. Juxta *SS. Bonav. & Ignat. de Lojola* sunt hi 1. Superiori subdi. 2. Æquali non præferri. 3. Minori plus subdi quam præferri. Juxta Richard à *S. Vict.* Sunt alij quos recenset dicens. 1. Humilis est qui seipsum apud semetipsum veraciter contemnit. 2. Humilior est, qui se contemni ab alijs non refugit; 3. Humillimus vero, qui contemptum suum non solum contemnit, sed admodum concupiscit.

Actus Practici Humilitatis. Sunt hi 1. DEO se per omnia subijcere in omnibus agendis & patiendis,

dis, in omnibus prosperis & adversis, uti supremo Domino & Gubernatori nostro. 2. Donis Divinis indignum, ingratum & infidelem, se reputare. 3. Sibi ipsi semper diffidere, ut fragili, mobili. 4. Humilia Officia appetere, libenter suscipere, honorifica non ambire, non curare, oblata æquanimiter acceptare, sine fastu administrare. 5. Proximo etiam minori se submittere, cedendo proprium locum, sensum &c. 6. Nec signo, nec verbo, nec opere, aliquem fastum, contemptum cujusquam demonstrare. 7. Nolle laudari, & honorari, nam verus humilis teste *S. Bern. S. 16.* in Cant. vilis vult reputari, non humilis prædicari. 8. Se omnium vilissimum, stultissimum, inutilissimum, reputare, nam ut dicit Thom: Kemp: *Non reputes te aliquid profecisse in humilitate, nisi omnibus inferiorem te sentias.* 9. Propria opera bona non buccinare, non magnificare coram alijs. 10. Aliena opera non depretiare, non extenuare, & neminem, nisi se despicere.

Nota Quod Humilitas Christiana & Ascetica opponitur Vitio Superbiæ, quæ est immoderatus appetitus excellentiæ, qui trahit post se immoderatam gloriationem, præferentiam sui, contemptum aliorum, ambitum honorum, supplantationem competitorum, & omnia fere vitia. Unde dicitur *Eccl:* 10. Initium omnis peccati est Superbia. Et *S. Bernardo* teste c. 4. De domo interiori. *Superbia* est origo omnium criminum, ruina omnium virtutum, ipsa enim est in peccato prima, ipsa in

conflictu postrema, ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de Virtutibus deijcit; idcirco omnium peccatorum est pessima, quia tam per virtutes, quam per vitia humanam mentem exterminat. Proinde ultra omnia vitia ab homine Christiano, & Ascetico remis, velisq; fugienda est.

INSTITUTIO II.

De Virtute. Paupertatis.

PAupertas est virtus per quam omnia temporalia, uti opes, dominia, possessiones, ob amorem DEI, & imitationem Christi affectu, vel effectu abdicamus. Non enim hic sumitur, Paupertas pro illa mendicorum, spoliatorum, prodigorum, nihil aut parum habentium, nam hæc potius est penuria, & sæpe conjuncta cum ardenti avaritia; Nec sumitur pro illa Philosophorum, qui vel studio quietis, vel alio fine humano divitias contempserunt, ut Crates & alij. Sed sumitur Christiane, & Ascetice.

Paupertas Christiana est Duplex. *Alia in affectu.* consistitq; in hoc quod homo etiam pollens opibus, & divitijs, ad eas cor non apponat, sed eis utitur liberaliter, in earum accumulatione non est fervidus, in amissione non est turbulentus, aut desperatus, de qua Paupertate dicitur *Psal 61.* Divitiæ si affluant nolite cor apponere. Talis Paupertas est omnibus Christianis communis, & ad salutem necessaria. *Alia in effectu* quæ consistit in reali

abdica-

abdicatione omnis juris, dominij, possessionis rerum temporalium propter DEUM. Et hæc est supererogatoria, Evangelica, Ascetica, propria hominibus Religiosis.

Paupertas hac Ascetica rursus est duplex. *Altera est communis* fere omium Religiosorum, quæ consistit in abdicatione omnium temporalium in particulari, retento tamen jure ad ea in Communi, *Altera specialis*, & propria Ordinis nostri Seraphici FF. Minorum, Regulam *S. P.* Francisci servantium ad literam, quæ sic describitur. *Paupertas FF. Minorum est realis abdicatio omnis juris politici cujuscunq; rei temporalis, tam quo ad rem ipsam, quam quo ad ejus usum, tam in particulari, quam in Communi, propter* DEUM.

Motiva Paupertatis Asceticæ sunt hæc potiora. 1. Exemplum Regis Regum, & Domini dominantium, qui nihil proprium in terris habere voluit, ut dicit *S.* Paulus *2. Cor. 8.* Quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. 2. Exempla *SS.* Apostolorum, & innumerorum, fidelium in Religionibus DEO famulantium, etiam Cæsareâ, Regiâ dignitate fulgentium, qui propter DEUM cunctis opibus paupertatem Evangelicam prætulerunt. 3. Mirabilia Divinæ Providentiæ documenta super Religiosos, pauperes quæ in nostro Ordine sunt præcipua & quotidiana; dum nulla prædia, nullos census, nullos reditus etiam victualium habentes, sufficienter necessarijs providemur; & sæpissime nec

quærentes nec sperantes. 4. Quia Paupertas Evangelica nos liberat & assecurat, à periculosissimo genere peccati, nempe ab injustitia, cum nec lucra quæramus, nec commercia exerceamus, nec aliena rapiamus, utpote nullum jus habentes. 5. Quia Paupertas maxime nostra Minoritica juxta S. P. N. Franciscum *Opusc. 1. Collat. 5.* Ordinis nostri est fundamentum, cui substrato primario sic omnis structura Religionis innititur ut ipsius firmitate firmetur, & eversione funditus evertatur. 6. Quia nobis singularissime assecurata est prima illa Beatitudo. *Beati pauperes Spiritu quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* 7. Quia paupertas nostra liberat nos à curis plurimis, à litibus, inimicitijs, calumnijs, invasionibus, prædationibus, & dissipatione spiritûs per negotia temporalia.

Gradus Paupertatis præcipue Minoriticæ sunt hi, 1. In rebus ad usum proprium Conventus, Ecclesiæ necessarijs, non quærere, non admittere superflua, curiosa, pretiosa, exquisita, sed modicis, & vilioribus uti. 2. In defectu & penuria necessariorum non diffidere, non anxiari, non commoveri animo. 3 In omni penuria gaudere, nec metuere paupertatem, at potius metum paupertatis.

Actus Paupertatis præsertim Minoriticæ. 1. Nihil penitus sibi ut proprium arrogare. 2. Nihil absq; licentia Superiorum procurare aut retinere. 3. Nihil Conventui, aut sibi procurare à Benefactoribus importune, dolose, turbulenter, ex quo appareat

affectus

affectus avaritiæ; 4. Damna Conventus, & prodigalitatem in usu rerum, studiose vitare. 5. Omnem receptonem, usum, administrationem, contrectationem peccuniæ, ut pestem Religionis nostræ cavere, & abhorrere. 6. Nihil ex rebus ad usum necessarijs coram superiore celare. 7. Gaudere semper in animo, gratias agere DEO, quod se ad statum altissimæ paupertatis vocaverit.

Nota Quod Paupertas Ascetica opponatur [& longe quidem magis, quam liberalitas, quæ opponitur directè prodigalitati] Vitio avaritiæ, quæ est cupiditas immoderata pecuniæ, divitiarum, possessionum, ac proprietatis ad illa. Estq; peccatum omnibus communissimum, juxta illud Habac 2. *Avaritia in capite omnium.* Est peccatum periculosissimum, cum sit quasi insensibile, totq; pulchris coloribus, & honestis titulis palliatum, ut vix alicujus conscientiam moveat; Est peccatum injuriosissimum; cum avari nec in DEUM, nec in proximum, nec in se liberales sint, vivunt sordide, tenaciter, jejune, fiuntq; in vita, & post mortem Martyres diaboli.

INSTITUTIO III.

De Virtute Castitatis.

Castitas est Virtus, quâ ab impuris voluptatibus carnis abstinemus.

Castitas

Castitas est *1mo* Duplex. *Alia perpetua* quæ à voluntaria pollutione corporis per totam vitam abstinet, & appellatur Virginitas. *Alia non perpetua* quâ quis post amissam Virginitatem de cætero ab omni impura voluptate abstinet & vocatur Continentia: de quâ tamen recte dixit Cæsarius: *Longa Castitas post peccatum est imitatrix Virginitatis. 2do.* est Duplex: Alia est *Communis*, omnibus Virginibus, & continentibus, ex bono proposito, ob amorem & timorem DEI, ab omni illicita voluptate abstinentibus. Alia *Ascetica* Voto roborata, in quacunq; Religione Sacra, præsertim in nostra Seraphica, quæ ex obligatione Regulæ non solum interdicit quamcunq; turpem voluptatem carnis in se vel cum alijs, sed etiam omne suspectum consortium cum altero, vel quasi altero sexu, ut patet ex *Cap: 10.* Regulæ.

Motiva Castitatis Asceticæ. Sunt hæc potiora. 1. Exemplum Innocentissimi Filij Matris Virgineæ, qui nedum animo, & corpore fuit sanctus, innocens, impollutus, sed etiam tantus puritatis amator ut neq; sinistram opinionem de se in materia Castitatis permittere & pati voluerit, nam constat nullum ex illius hostibus fuisse, qui incasti aliquid Christo imposuerit. 2. Castimoniæ honor æstimatio, apud DEUM & homines, etiam incastos, qui sicut Æthiopes licet sint nigri, albos tamen amant, & æstimant, sic illi quoq; castos. 3. Luxuriæ turpitudo, propudium, damna famæ, honoris, corporis, vitæ, &c. pænæ à DEO gravissimæ temporales,

rales, & inveteratis in hoc malo æternæ. 4. Animi libertas, conscientiæ quies, ex observantia Castitatis proveniens, ex qua sequitur confidentia ad DEUM, unio mentis cum DEO, uti purissimo spiritu, vita in tempore jucunda, in æternitate beata.

Gradus Castitatis Asceticæ sunt hi 1. In Vigilia & cum advertentia, nullam delectationem veneream corporis, vel mentis admittere. 2. Nullam illusionem turpem data quacunq; culpabili causa in somno pati. 3. Ab illis etiam motibus carnis qui causas cæteroquin naturales habent, tam in somno quam in vigilia liberum esse, quem gradum à paucissimis obtineri ait Cassian. 5.

Actus Practici & Media Castitatis Asceticæ. 1. Alterius sexus consortia familiaritates, obsequia, lenocinia, fixos aspectus, longam conversationem, omnino devitare. 2. Visa, lecta, audita, in materia luxuriæ ob aliquam justam causam, velut aliquod opus simplex, & nobis extraneum excipere cum magnanimitate, & contemptu generoso. 3. Cor diligenter custodire ab affectibus teneritudinis erga venustates formositates &c. nam facile degenerant in libidinosos. 4. Corpus macerare jejunijs, vigilijs, disciplinis, &c. nimijs escis & potu calido non sufflaminare. 5. In prælio Castitatis nunquam sibi fidere, & sæpius coram DEO profiteri: Domine non possum esse continens, nisi tu DEUS dederis! 6. In tentatione cum viva fide recordari *SS*mi *Sa*cramenti, mittendo affective ad illud cor suum, adorando, obstringendo Christum Dominum per

realem ejus præsentiam, per amarissimam Passionem, per viscera misericordiæ ejus, immergendo Cor suum in purissimo Sangvine ejus. 7. Prosternendo se in terram vg: in Cella orando ferventer vg. Salvate me Vulnera JESU mei: Passio C J. conforta me! Monstra te esse Matrem ô Virgo Immaculata! non surgam, non dimittam te ô JESU ô Maria, donec &c. 8. Convertendo se ad aliqua opera utilia, ad laborem, ad lectionem; 9. Commemorando sibi aliquam Crucem suam, & offerendo DEO tanquam munus ad exorandum donum Castitatis.

Nota. Quod Castitas opponatur Vitio Luxuriæ, quæ est appetitus inordinatus rei venereæ seu libidinosæ, contra legem Divinam vel rectam rationem. Estq; peccatum difficulter evitabile. DEO, Angelis SS. & ipsis dæmonibus detestabile. Hominem transformat in bestiam, operantem juxta ductum sensualitatis effrænatæ. Inveteratum longo tempore, vix est extricabile. In quacunquè specie sua est mortale, inferno dignum. In Sacra DEO Persona vg. Religioso est Sacrilegium. Proinde in suis principijs extirpandum, & semper fugiendum.

INSTITUTIO. IV.

De Virtute Patientiæ.

PAtientia est Virtus, quâ injuriæ & aliæ adversitates, æquanimiter sustinentur, tam inte-

rius in corde, quam exterius in opere, id est nec in animo concidendo ex tristitia. nec in opere vindictam inferendo.

Patientia ratione materiæ seu damnorum juxta P. Balthasar Alvarez est Quintuplex. *1ma In damnis fortunæ* ut sunt Opes, fundi, jura &c. *2da. In malis Corporis* ut sunt fames, sitis, frigus, æstus, morbi, labores, vulnera &c. *3tia In malis famæ.* Ut sunt contemptus, ludibria, contumeliæ, calumniæ &c. *4ta. In malis animi.* Ut sunt desolationes spiritûs,, scrupuli, confusio intellectûs &c. *5ta. In malis proximi.* Ut sunt cognatorum, amicorum, infortunia, mortes, pravi mores. &c.

Motiva Patientiæ sunt hæc potiora. 1. Exempla Christi Domini admiranda, Omniumq; *SS.* ejus, quos oportuit per multas tribulationes intrare in Regnum DEI. 2. Quia omnia mala temporalia quæ patimur, proveniunt à DEI voluntáte sapientissima, Sanctissimâ, ac ter Optimâ, adeoq; ad bonum ordinantur. 3. Quia per Patientiam vitia curantur, purgatorium evitatur aut minuitur, tentationes carnis superantur, charitas proximi retinetur, & amor DEI singularius comprobatur. 4. Quia sicut ira, quædam insania est, bestijsq; furiosis hominem assimilat, ita patientia magna sapientia est, hominemq; bonis Angelis, & Christo ipsi patienti assimilat.

Gradus Patientiæ sunt hi, *1mus.* Fortiter tolerare, quod ferendum occurrit, licet cum gravi &

Sensibili dolore. *2dus.* Libenter tolerare mala, absq; gravi animi dolore. *3tius.* Hilariter tolerare mala cum vero gaudio, & desiderio, plus patiendi, ob amorem DEI & imitationem Christi. In quali gradu fuit ille *Sanctus*, qui in cruciatibus clamabat ad Dominum. Amplius Domine amplius! Et illa *Sancta* quæ clamabat: Pati non mori.

Actus Practici & Media Patientiæ. 1. Amori proprio bellum indicere, eumq; omni conatu expugnare, nam ex illo procedit omnis impatientia. 2. Passionem innocentissimi *Salvatoris* ob oculos mentis jugiter ponere; 3. Primos motus iræ cohibere in offensis & injurij , silendo locumq; iræ dando, nam cum tempore deferbescet. 4. In angustijs & miserijs quibusvis, nihil perturbate; clamorose furiose agere. 5. A convitijs, maledictis, execratione, semper lingvam compescere. 6. Injurias in vulneribus JESU Christi demergere, sepelire. 7. Quæcunq; adversa, molesta, DEO offerre pro peccatis, pro impetratione Virtutum, ad gustum beneplacitumq; Cordis ejus. 8. Quamcunq; suam impatientiam castigare, aliquâ mortificatione, vgr. lingvâ terram verrendo, &c. 9. Cogitare semper se esse reum coram DEO, & plura meruisse sustinenda.

Nota Quod Patientia largius sumpta opponatur amori proprio & alijs passionibus. *Strictius* tamen sumpta opponitur vitio *Iræ*, quæ est appetitus inordinatus vindictæ sumendæ de adversario pro malo illato, quæ quidem vindicta aliquando est *in signo*

uti

uti in agitatione Capitis, torvitate oculorum &c. aliquando *in Verbo* ut in convitijs, exprobrationibus, execrationibus, &c. Vel *in Opere* ut in protruſione, percuſſione. &c. Quæ omnia ab homine Aſcetico debent eſſe penitus aliena; at fugienda quoq; eſt vindicta per alios modos, ut fit accuſatione apud Superiores, denigratione famæ, durâ reſponſione, & ſimilibus modis.

INSTITUTIO. V.

De Virtute Abſtinentiæ.

Abſtinentia eſt Virtus, quâ voluptatem in uſu Cibi, & potus refrenamus, & debitum modum in eorum ſumptione conſtituimus.

Abſtinentia varie dividitur. *1mo.* In *Naturalem* per quam ab omni prorſus Cibo & potu abſtinemus. qualis ante ſumptionem *SSmi Sacramenti*, á media nocte requiritur. *2do. Eccleſiaſticam*, quâ uſum Carnium nobis ſubtrahimus, & unicâ tantum refectione, contenti ſumus, ut in Quadrageſima, 4. temporibus, & Vigilijs *SS. 3tia. Aſceticam* . quâ propter DEUM à quocunq; exceſſu in cibo & potu nos reſtringimus.

Motiva hujuſce Abſtinentiæ ſunt potiora. 1. Quia Divinam Miſericordiam nobis conciliat; Sic Ninivitæ jejunio ſuo iram DEI averterunt. 2. Quia orationem noſtram DEO gratiorem facit, bona enim eſt oratio cum jejunio. *Tobiæ 12.* 3. Quia

per jejunium dæmones vincimus, hoc enim genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione, & jejunio. 4. Quia jejunium nos reddit similes Christo abstinentissimo, & ô quam immanem sitim patienti in Cruce! 5. Quia abstinens, adijciet ad vitam Corporis, animæ, gratiæ, gloriæ. 6. Quia gula multorum morborum est causa, maxime autem ebrietas mater est omnium vitiorum, scandalorum, duellorum, indevotionum, insuper proh dolor! quam permultis hypocondriæ, insaniæ, & mortis repentinæ? 7. Juxta Chrisostom: *hom:* 5. De jejun: Jejuna quia peccasti, jejuna ut non pecces, jejuna ut accipias, jejuna ut permaneant, quæ accepisti.

Gradus Abstinentiæ. Sunt hi. *1mus.* Moderatè uti Cibo & potu quocunq; , licet cum remurmuratione sensualitatis plura cupientis. *2dus.* Moderatè & sobriè uti solis necessarijs, absq; remurmuratione hujusmodi. *3tius.* Solis extreme necessarijs, parcissimè uti, cum intimo gaudio, & desiderio nec his utendi.

Actus Practici & Media Abstinentiæ. 1. Cibos ab Ecclesia vetitos, pro tempore quo prohibentur non sumere. 2. Jejunia Ecclesiastica nec non ex propria Regula, aut Instituto ordinata, custodire, & ex consilio aliqua non præcepta suscipere. 3. Horâ consvetâ secundum morem Religionis in quavivis, non citiùs manducare. 4. Determinare sibi certam quantitatem Cibi & potûs juxta rationem & necessitatem, nihil plus sumendo. 5. Solitam plerisq; cupiditatem multum de fructibus comeden-

medendi, abscindere. 6. Etiam in senectute Sobrietati studere. Alios Actus Vide *Cap: 2. Instit:* de Temperantia, nam hujus pars est Abstinentia.

Nota Abstinentiam opponi vitio gulæ, quæ est appetitus immoderatus Cibi & potûs, ex quo provenit ut gulæ dediti comedant, bibant ardenter, præpropere, frequenter. Estq; vitium, hominum otiosorum, imprudentum, quorum præcipui cogitatus sunt de poculentis & esculentis, præcipuæ curæ, expensæ, pro implendo, ventre & gutture satiando. Est vitium quod plures Catholicos inducit in contemptum legis Ecclesiasticæ, de jejunijs, ut constat experientia, quod si excedant in potu facit eos stupidæ & emotæ mentis. Proinde ab Asceticis Viris studiose cavendum.

INSTITUTIO. VI.

De Virtute Benignitatis.

BEnignitas est Virtus tristitiam de alieno bono seu felicitate, ex animo excludens. Hæc Virtus ex Charitate profluit, nam dicitur *Rom: 13.* Charitas patiens est, benigna est.

Motiva Benignitatis sunt hæc potiora. 1. Quia opponitur turpissimo vitio Invidiæ, nempe illi, quod ab ipso inviolo quam maxime celatur. 2. Quia Benignitas hominem DEO facit similem, qui omnia bona sua communicat amanter alijs, similem *SS.* Angelis, & Beatis, quorum est sine invi-

dia

dia communio. 3. Quia hominis animum reddit liberum, & jucundum. 4. Reddit hominem immunem à peccatis contra justitiam, & charitatem, benignus enim homo neminem supplantat, neminem traducit, neminem odit, nemini sua rapit.

Gradus Benignitatis sunt hi. *1mus.* De aliena felicitate non tristari graviter. *2dus.* Non tristari leviter. *3tius.* Gaudere intime & congaudere bono alterius.

Actus Practici Benignitatis. 1. *S*erio cordi imprimere, quod omnia bona quæ videmus, in proximo, sunt dona DEI, libere & amanter illi collata. 2. Lætari de bonis alterius, tanquam ijs, quibus utiq; DEUS glorificatur. 3. Benefacta vel dotes aliorum non tegere, non obumbrare, non extenuare malitiose; 4. Non impedire aliorum bene qualificatorum famam, honorem, promotionem, ex solo livore 5. Non rimari judicia DEI, non succensere quare alij dat hæc vel illa dona, non tibi, nunquid enim oculus tuus nequam est? quia DEUS bonus est.

Nota. Quod benignitas ut jam innui opponatur Vitio Invidiæ, quæ est tristitia inepta & injusta de aliena felicitate. Estq; Vitium nimis commune; nam invidia etiam *S*anctos adussit, quantomagis inflammat peccatores? Est vitium quod hominem facit pejorem diabolis, quia diaboli suis socijs non invident. Est juxta *S. Gregor: Nissen. l.* de vita *Moysis.* Mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte ad-

te adhibita telum, amarum, flamma cordis, intestinorum ignis. Proinde ab homine Ascetico, per omnia fugiendum; & intimâ proximi Charitate vincendum est.

INSTITUTIO VIII.

De Virtute Devotionis.

DEvotio est pia affectio voluntatis, quâ homo paratum, promptum, ac fervidum se offert ad cultum, servitium, obsequium DEI, & implendum omne ejus beneplacitum. Ex quo infer. Juxta omnes *SS.* Patres, & Magistros Asceticos, præsertim *S.* Franciscum *Salesium*; l. 4. Introduct: c. 13. Ludovic: Blosium in Brev. Regul: n. 19 & alibi. *1mò.* Devotionem veram nõ consistere in solis diutinis orationibus, frequentibus precibus, nam talem devotionem [ut advertit Blosius] & Hæretici & Gentiles plerumq; habent. *2dò.* Non consistere in affectibus sensibilibus, amore, dulcedine, consolatione plenis, siquidem hæ affectiones nonnunquam sunt naturales magis, quam Divinæ, & in eo etiam corde, quod à DEO est alienum gigni possunt, ut dicit præfatus Asceta in Canone Vit: Spir: c. 26. experimurq; fæminas alioqui sævissimas, injustissimas, avarissimas, multum precationibus instare, & in lachrymas resolvi, aliosq; sensibiles affectus in ijs sentire, imo & ebriosis hoc

plerumq; contingit. *3tio.* Hallucinari circa devotionem veram nonnullos etiam Religiosos, qui putant se admodum devotos, si multa Rosaria, Coronas, Officia *SS.* quotidie recitent, longo tempore & per multas preces præparent se ad Missam vel Communionem, horas consumant in celebratione Missæ cum molestia audientium. Interim propter hæc suæ quasi pietatis exercitia parati sunt eludere obedientiam, Officia sibi commissa non perficere, obsequia Charitatis omittere, Nullum zelum salutis animarum habent, passim vivunt inquieti, importuni, impatientissimi, critici, tetrici, à vari, intolerabiles alijs, & ceteris vitijs scatentes. *4to.* Tandem infer devotionem veram juxta datam ejus descriptionem, in hoc sitam esse, quod homo Christianus quasi totus devoveatur DEO, omnibusq; suis actibus, & conatibus, velit studiose DEUM suum colere, honorare, & magnificare eum in laude: ad hoc omnia studia sua, laborem industriam, impensas conferre, ut in omnibus honorificetur DEUS, ad hoc omnes vires suas coaptare, ut voluntatem ac beneplacitum DEI impleat, sive in prosperis sive in adversis, sive in præceptis, sive in consilijs, nulloq; peccato displicentiam DEO faciat.

Motiva hujusmodi veræ Devotionis, hæc sunt potiora. 1. Altissima & infinita dignitas DEI nostri, omni honore, Cultu & amore nostro dignissima, 2. Voluntatis Divinæ in omnibus suis operibus, præceptis, consilijs, maxima sanctitas, bonitas,

nitas, & rectitudo 3. Finis nostræ Creationis, Redemptionis, gratiarum multitudinis, qui non alius est, nisi ut à nobis colatur, ameturq; DEUS, & voluntas ejus in nobis impleatur.

Gradus Devotionis sunt hi: *Imus.* Colere DEUM, voluntatemq; ejus implere studiose ac sincere. *2dus.* Colere DEHM & frequenter ac ferventer. *3tius.* Colere DEUM &c. excedenter, id est usq; ad defectionem virium, & vitæ, quem gradum conscenderunt. *SS.* Martyres, & Viri Apostolici innumeri.

Actus Practici Devotionis. 1. Elevare mentem, & cor suum dirigere ad DEUM, sive orando, sive operando, ex desiderio colendi DEUM. 2. Orationes suas absolvere intentione sublimi, corde humili, spiritu collecto, mente attenta ad præsentiam DEI, & summam ejus dignitatem. 3. Orationes ex instituto Ecclesiæ aut Religionis consvetas tum vocales, tum mentales, non omittere, non detruncare, sed cum omni diligentia & forvore absolvere. 4. Quantum permittit tempus, negotia honesta, obedientia, & charitas, orationi & laudi Divinæ insistere. 5. Alios ad frequentem ferventem, & perfectam DEI laudem, verbo, exemplo, aliisq; modis allicere & adducere. 6. Missæ Sacrificia ut pote quibus maxime honoratur Divina Majestas, reverentissime audire, & celebrare. 7. *SS.* Eucharistiæ Sacramentum, sæpius humiliter sumere, visitare, adorare. 8. Laudare DEUM in Bs. Virg. & *SS.* ejus eos colen-

do & pro posse imitando, nam ut dicit S. Chrysost: hom. sup. Matt. c. 28. *Quæ est ista devotio, Sanctos colere, & sanctitatem contemnere?* 9. Conformari Divinæ voluntati in omnibus, cum resignatione, gaudio, & adoratione ejus. 10. In actionibus & passionibus suis intendere gustum & beneplacitum, Cordis Divini. 11. Omne peccatum studiose cavere, & aversari, ut pote quod solum DEO displicet. 12. Virtutes sectari; in illis proficere, nam hæc est voluntas DEI sanctificatio nostra. 13. Zelo Divini honoris impedire ne *DEUS* ab alijs offendatur, & curare ut laudetur, ac honoretur, ab omnibus, ut ejus nomen ac fides quam plurimis innotescat. Sacra Christiana condigne tractentur, Ritus, Ceremoniæ Ecclesiasticæ debite serventur, superstitutiones in Cultu DEI rescindantur, verbo: ut ab omnibus adoretur DEUS in spiritu & veritate.

Nota Quod Virtus Devotionis opponatur Vitio Accediæ quæ est Tristitia, & aversio mentis à rebus Divinis, salutaribus & Spiritualibus, è qua provenit langvor ac tædium in DEI cultu, in implenda ejus voluntate. Quô in animam admisso laus DEO debita negligitur, vel coactè fastidiosè, fraudulenter, persolvitur; gratiæ Divinæ, lumina Cælestia, dictamina interna sterilescunt, talenta cælitùs data infodiuntur, & damna meritorum gravissima incurruntur. Imo Acedia est notabile signum imperseverantiæ in statu Christiano, Religioso; Proinde mox ab initio conversionis ab homine Ascetico excutienda.

CA-

CAPUT IV.

De Virtutibus Integralibus

INSTITUTIO I.

De Virtute Obedientiæ.

OBedientia eſt Virtus, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis.

Obedientia ſpectando perſonam cui præſtatur eſt *1mo.* Duplex. *1ma.* erga DEUM, per quam omnia à DEO præcepta implentur. *2da.* Erga hominem Vice DEI præſidentem, & præcipientem, per quam omnia juſſa Superioris, honeſtati, atq; rectitudini conformia, quoquomodo expreſſa, implentur. *2do.* Eſt Duplex. *Alia eſt Communis* & omnibus ad ſalutem neceſſaria, quæ ex Divina inſtitutione debet à quolibet populo præſtari Regibus, Magiſtratibus, Prælatis Eccleſiæ, [uti Papæ, Epiſcopis, Parochis] Item quam exhibere debent filij Parentibus, Uxores Maritis, ſervi Dominis. *Alia Specialis* Aſcetica & Supererogatoria, quæ, voto ſolemni vel ſimplici firmatur, qualis Obedientia eſt in Religioſis. Quæ quidem in nonnullis Religionibus eſt limitata, vi cujus obedire tenentur ſubditi *Superioribus*, in ijs tantum quæ in eorum Regula continentur. In noſtra vero Seraphica Religione

est Illimitata; nam vi ejus tenemur obedire Superioribus in omnibus quæ non sunt contra animam & Regulam nostram idq; ex præcepto Regulæ c. 10.

Motiva Obedientiæ Asceticæ. *Sunt* hæc potiora. 1. Quod sola Obedientia vel maxime nos faciat discipulos & imitatores Christi, qui factus est Obediens pro nobis usq; ad mortem, maluitq; vitam ponere, quam Obedientiam Patris non implere. 2. Quia Obedientia primum locum obtinet inter Vota Religiosorum, estq; illis eminentior, quia per Paupertatem mactantur bona homini extranea, per Castitatem bona Corporis, per Obedientiam vero anima, seu voluntas propria DEO mactatur. 3. Quia per Obedientiam quæq; opera etiam exigua, etiam indifferentia, evadunt summe meritoria. 4. Quia juxta *S. Grego*: Si obedientes fuerimus Prælatis nostris, DEUS obediet orationibus nostris. 5. Quia vir Obediens loquetur victorias. *Prov: 21.* id est victoriam ex carne, ex amore proprio, judicio, ac voluntate. 9. Quia juxta S. P. N. Franciscum *Orat: 27.* Obedientia est fidei opus, probatio vero spei, argumentum Charitatis, mater humilitatis, & genitrix pacis DEI, quæ exsuperat omnem sensum.

Gradus Obedientiæ sunt hi. *1mus.* Obedire propter DEUM *libenter & hilariter* nam ex *S. Bern:* Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis. *2dus.* Obedire *simpliciter*, absq; contradictione, disceptatione, explicatione. *3tius.* Obedire *velociter seu prompte* nam

pte nam ex *S. Bern:* Fidelis obediens neſcit moras, parat oculos viſui, lingvam voci, aures auditui, manus operi, pedes itineri. &c. *4tus.* Obedire usq; ad mortem *perſeveranter* idq; Chriſti exemplo.

Actus Practici Obedientiæ. 1. Magnam de ſuis Superioribus æſtimationem concipere, & fovere, eo quod Chriſti vicem gerant. 2. Indifferentem eſſe ad omnem locum, Officium, negotium, tempus, ab excuſationibus abſtinendo. 3. Punctualiter exequendo omia demandata ſibi officia, obſequia ſive communia. ſive privata. 4. Non ſolum expreſſum præceptum Prælati, ſed etiam undecunq; cognitam voluntatem, cum omni diligentia ac perfectione, implere. 5. Privata bona opera vg. devotiones, ſtudia, Obedientiæ poſtponere. 6. Omnes actiones quæ in Religione occurrunt, ex Obedientia perficere. 7. Nunquam proterve excutere, aut doloſe Obedientiam eludere. 8. Ex Obedientia mori, ut paſſim Sancti fecerunt.

INSTITUTIO II.

De Virtute Pænitentiæ.

PÆnitentia eſt Virtus, qua peccata noſtra ut ſunt DEI offenſa deteſtamur, & eadem efficaciter vindicare expiare, & deinceps cavere ſtatuimus, nam juxta *S. Greg.* Pænitentia eſt commiſſa plangere, & plangenda non committere.

Moti-

Motiva Pænitentiæ. *Sunt* potiora: 1. Quia dignus est DEUS, ut quem offendimus deprecemur, & dishonorem ac injurias ejus Majestati per peccata illatas, quoquomodo restituamus. 2. Quia digna est anima nostra imagine DEI *Signata*, prætioso *Sangvine* JESU Christi rubricata, ut ejus maculas lachrymis pænitentiæ abstergamus, eluamus. 3. Quia digna est salus nostra, beatitudo nostra quam si per peccatum amisimus, ut per pænitentiam rursus eam sartam, & salvam nobis faciamus. 4. Quia dignum est ut DEO vocanti nos, expectanti, sitienti nostram conversionem, nostram salutem, respondeamus, per pænitentiam. 5. Quia nihil aliud nobis restat peccantibus, nisi unum ex his, aut pænitendo æternum beari, aut non pænitendo æternum damnari. 6. Exempla innumera heroicæ, prodigiosæ pænitentiæ tot sanctorum longe minus nobis peccantium.

Gradus Pænitentiæ sunt hi. *1mus.* Punire in se ulcisci & vindicare, injurias DEO illatas in omnibus sensibus & potentijs *libenter & ex animo.* *2dus.* Punire eas *Viriliter & fortiter* absq; conniventia usq; ad sensibilem dolorem corporis ac animi. *3tius.* Punire eas *heroice & violenter* ut fecerunt plurimi sancti, ex particulari inspiratione & gratia DEI, *4tus.* Punire eas *insatiabiliter* incessabiliter usq; ad mortem.

Actus Practici Pænitentiæ. 1. Agnoscere sua peccata sincere, neq; eorum gravitatem extenuare; 2. Dolere de peccatis intime & frequenter, ob sum-

ob summam DEI Sanctitatem, dignitatem & bonitatem. 3. Confiteri peccata sua integre, humiliter, cum desiderio suæ confusionis & contemptus pro illis. 4. Satisfacere DEO pro peccatis, tum per injuncta à Confessario opera pænalia, tum per assumpta voluntarie, tum offerendo DEO pro peccatis, omnes rigores & austeritates Religionis, tum offerendo omnes molestias corporis & animi sive innatas sive illatas, tum injurias, vexas, heroice condonando, tum ingratitudines, odia hominum, patienter decoquendo. 5. Contrarias Virtutes peccatis suis exercendo, vg: humilitatem superbiæ, austeritates delicijs, abstinentiam gulæ oponendo; juxta illud Apostoli *Rom 16. Sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis servire justtiiæ in Sanctificationem.*

INSTITUTIO III.

De Virtute Modestiæ.

MOdestia seu gravitas morum, est Virtus, externa hominis membra & actiones decenti moderatione componens.

Motiva Modestiæ sunt hæc potiora. 1. Quia Christus hanc Virtutem insigniter coluit. Unde Apostolus 2. *Cor.* 10. Ad alias Virtutes obtestabatur suos discipulos per mansvetudinem & modestiam Christi. 2. Quia modestia præ cæteris virtutibus omnes ædificat; homines enim judicant ea

quæ vident. 3. Quia modestia est signum animi recti, pacati, pudici, sicuti dissolutio morum, est signum animi levis, perversi, inquieti impudici; 4 Quia Modestiam comitantur passim multæ virtutes; maxime quas recenset Apostolus *Coloss 3.* Induite ergo vos sicut electi DEI, Viscera Misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. 5. Quia juxta *S. Bonav. l. de sex alis c. 3.* Desertio Modestiæ est signum neglectæ conscientiæ, indisciplinati enim & immodesti, videntur absq; reflexione vivere.

Regulæ & Actus Modestiæ. Ex Hugone de *S.* Vict. c. 13. Instruct: Ridere sine apertione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuum, & digitorum, incedere sine ventilatione brachiorum, & gesticulatione scapularum, sedere sine alterutra superjectione pedum, sine extensione vel agitatione tibiarum, & sine accubatione laterum. Cum tamen Modestia non solam corporis compositionem dicat, sed etiam dictet mansvetudinem, Urbanitatem, Civitatem, honestatem in omnibus actionibus, *S.* Bonav. in aureo libello. *Specul: discipl: Relig:* copiosissime Regulas omnis modestiæ proposuit, è quo omnes recentiores Ascetæ tanquam e fonte hauserunt. Et si vero in nostris Conventibus frequenter prælegantur, placuit tamen ad imprimendam earum memoriam, selectiores earum huic opusculo inserere, ut ad manum sint Religiosis Tyronibus. Sed:

Nota 1. Quod Modestia & Disciplina Religiosa,

osa, non tantum coram hominibus, sed etiam coram DEO, & S. Angelo Custode sit exhibenda, ita ut etiam solus existens, tam disciplinate & caste te habeas in visu, gestu, tactu, gressu, & omnibus alijs ac si ab aliquo spectareris. Cujus decentiæ rationem dat *S.* Bonav. *Spec. p. 1. c. 10.* Quia inquit *SS.* Angeli qui nobiscum sunt semper vident omnia opera quæ facimus, quorum aspectus debemus ubiq; vereri, & præsentiam revereri. Videt nos etiam ipse DEUS & Judex noster, videt etiam nos ipsa conscientia nostra, testis eorum quæ facimus, & accusatrix. Et profecto hujusmodi modestia coram DEO & *SS.* ubicunq; locorum est actus virtutis quæ vocatur Religio seu reverentia erga DEUM & *SS.*

Nota 2. Quivis actus Modestiæ sive coram solo DEO, sive coram hominibus, ut sit Asceticus, & meritorius, fieri debet ex serio animo, & eo fine ad quem ordinata est à DEO Modestia, adeoq; propter DEUM & juxta DEUM. *Propter DEUM* ut fiat studio colendi DEUM, studio ædificationis, Charitatis, pacis, &c non vero studio tantum placendi hominibus, ostendendi se cultum, politum, bene compositum. *Iuxta DEUM* ut fiat animo recto, sincero, non simulate, ut faciunt falsi Politici. *Sine excessu* id est absq; nimijs reverentijs, Ceremonijs ineptis, ut sunt prostrationes sui in terram, oscula pedum & similia. Alia siquidem est schola Urbanitatis sæcularis, alia Religiosæ.

Regula 1ma. Modestiæ ex *S.* Bonav. Ut sim

in actionibus maturi, humiles, & benigni. Nam maturitas reddit venerabilem, humilitas imitabilem benignitas amabilem. Et hæc Regula est communis & fundamentum cæterarum. Nunc jam seqvuntur particulares.

Regulæ Modestiæ in usu lingvæ, discursu, & conversatione cum hominibus.

1ma. NUlla locutio vel discursus fiat cum clamore, præcipitantia, & celeritate verborum, hæc enim puerilia sunt admodum.

2da. Nulla locutio spiret fastum, jactantiam, aucupationem laudis humanæ; hæc enim sunt indicia superbæ & vanæ mentis.

3tia. Nulla locutio sit cum impetu & fervore, rugis in fronte, torvitate oculorum, hæc enim sunt indicia rabidi & furiosi animi.

4ta Quævis locutio sit mitis & pacifica sine litigiosa & pertinaci contradictione, vel irreligiosa contentione verborum.

5ta. Nulla locutio juramento firmetur [nisi judicium vel Obedientia id requirat] nam illi qui sæpe jurat minus creditur, & aliunde, ita debemus esse veridici, ut nobis absq; juramento credatur.

6ta. Junioribus Fratribus fere semper inter Seniores usq; ad interrogationem tacendum, & nunquam cum nimia familiaritate, audacia, procacitate, loquendum.

7ma.

7ma. Loquente alio nunquam loquendum, non interrumpendus ejus discursus, non ostendendum quod hæc scias, non suggerenda mox Verba, si aliquando non suppetant, præsertim hic respectus Majoribus est exhibendus.

8va. Secreto loquentibus nec te ingeras, nec appropies nec alijs præsentibus cum uno ad aurem loquaris, vel lingva alijs ignota.

9na. Vocaturus aliquem præsertim majorem aut æqualem, non voces illum à longe, sive sibilo, sive nutu, sive clamore, nisi urgens negotium aliud exposcat.

10ma. Alios alloquendo abstine à contactu etiam ludicro, jocoso, manum, Chordæ, vestium, tanto minus, colli, vultus, nasi, aurium; Non nimium appropia vultui, non loquere hiantibus labijs, halitum in os alterius, tanto minus sputi particulas ne immittas.

11ma. Cum nemine loquaris verbis incultis, rusticanis, tuizando, agnomina contemptibilia dando, etiamsi te sint inferiores.

12ma. Omnis locutio tua sit considerata, humilis, verecunda, parca, non curiosa, non offensiva, non scandalosa, & quæ ostendat te prudentem ac morigeratum.

Regulæ Modestiæ in congressu publico Magnatum & gravium Virorum.

1ma. ATtende serio, quod omnis Dignitas humana sit donum DEI, & character quidam ab eo impressus, proinde Personas in dignitate constitutas æqvum est venerari & revereri.

2da. In medio magnatorum ut svadet etiam S. Scriptura *Eccl*: *32*: Non loquaris nisi interrogatus, vel ex justa causa idq; parce & reverenter.

3tia. Colloquijs, consilijsq; Magnorum non te immisceas, quibus gratusne intervenias, tibi incertum est.

4ta. Obdormiscere, dum graves viri loqvuntur, sedere dum stant, inambulare dum immoti manent, loqui dum silent, ut inurbanum caveto.

5ta. In hominum doctorum graviumq; consessu levicula in sermonem ne adducito, tanto minus ludicra, minusve decentia.

6ta. Gravibus Viris nunquam ita familiaris esto, [etiamsi bene tibi affectis] ut vel simplici nomine eos compelles v.g. Domine Petre, Paule &c, nam id paucissimis bene evenit, tanto minus Matronas honoratas. Vel eorum manus, arma, contrectes. Vel pari omnino passu cum eis inambules, nihil distando, aut se removendo paululum retrorsum.

7ma. Etiamsi offerat se occasio facta illorum aut dicta reprehendendi, in publico abstine, privatim cum mansvetudine, & captatâ audiendi benevolentia poteris admonere; aliter enim nec fructum facies, nec amicitiam conciliabis.

8va. In consessu dignorum hominum, nunquam ad eos quasi exhilarandos, aliquas nugas & historias, quæ scurris & levibus quadrant, exerceto.

9na. In auribus talium de hominibus dignis, ne loquaris aliqua indigna, etiamsi vera sint, imo discursus aliorum in hoc passu quâ potes industriâ commuta, nec asserta confirma.

10ma. De Cibo, potu, aliave commoditate, apud Magnates non conqueraris, hoc enim maxime eos offendit & te sensualem demonstrabit

11ma. Cum famulis Magnatum nunquam sic age quasi tui essent, sed humaniter obsequium pete.

12ma In consessu & conversatione gravium Virorum, ita reverenter procedas semper, quasi primâ vice cum eis converseris, confideas, & fixam amicitiam respectumq; habebis, ac Religioni s. æstimationem & beneficentiam conciliabis.

Regulæ Modestiæ in comedendo & bibendo.

1ma. Dum comedis, labijs ne sonum ede more porcorum, & dum cibum masticas, ne diduc labia, nec os aperias.

2da.

2da. Non utaris ad comestionem omnibus digitis, sed indice tantum & pollice, aliis parum compressis, nec macules digitos, ijs loco fuscinularum, aut cochlearis utendo, tanto minus illis cibum ori imponendo.

3tia. Ossa piscium & similia, ex ore super mensam non proijce, tantominus reliquias Ciborum, in patenam, vel in terram.

4ta. Os cibo copioso, vel bolo majori ita ne impleas, ut tubam inflanti sit similes; Pariter nec cochlear ita impleas, ut ferculo te, vel mappam perfundas.

5ta. Dentibus quid avellere à pane, carne, caseo, vel alio cibo, etiam à fructibus, cave ut indecorum.

6ta. Frusta carnis vel piscium, nuda manu perquirere, accipere, vel procul manus extendere pro ferculis, pane, sale, caveto, melius petere ista.

7ma. Oculos in mensa gyrovagos ne habetò, circumlustrando alia curiose vel impudenter.

8va. Dentes vel aures digitis ad mensam non scalpe, nares ad latus conversus leniter strophio emunge.

9na. Ad mensam Magnatum ne te primus ad comedendum bibendum, proripias, porrecta tibi comede.

10ma. Scyphos more sæcularium uno haustu nunquam evacua, nec bibendo, sonum gutturis ede, nec bibendo loquere.

12ma.

12ma. Si bibis, poculum utraq; manu teneas, oculos non eleves, labia non immergas, nec rustico modo nimium exporrigas; & os tam ante, quam post potum tergas.

Regulæ Modestiæ circa ulteriorem compositionem hominis externi.

1ma. CAput circumrotare undiq; , nimis frequenter movere, fricare caputio immersum tenere, ad pectus usq; inflectere, inhonestum ducito.

2da. Vultum non severum non mæstum, sed tranquillum & serenum demonstra: frontem corrugare, os instar stupidi apertum tenere, ridere nimium & cachinnari, vel labia fortiter comprimere, dentibus scindere, oscitando quasi ululare, oculos circumrotare, vel nimium clausos tenere, omnino caveto.

3tia. Si excreandum vel expuendum sit, non procul quasi jaculo emisso, nec post humeros, nec ex adverso ei qui simul sit tecum, sed aversa ab alijs facie, & ad remotiorem locum, vel ad latus, quantum fieri potest.

4ta. Ad quemvis strepitum, ad cujusvis ingressum, ad quemvis casum oculos vibrare, quemlibet locum in aliena domo curiose lustrare, caveto.

5ta. Dum quis tibi vicinus literas legit vel aliud quidpiam, corporis appulsu, vel oculorum injectu, cave ipsi imminere, imo recede parumper.

6ta. Ab omni mulierum qui in facies earum figatur, aspectu, item ab aspectu objectorum fœdorum vg. imaginum turpium &c. semper fugiendum est.

7ma. In aliena domo Epistolas projectas, vel alia scripta legere, vasa, raritates, contrectare, cave.

8va. Manibus rotare cingulum, vestem suam vel alienam contorquere, vel manus infra cingulum tenere caveto.

9na. In incessu non esto Cursor, nec manibus quasi alis extensis, perge; nec unquam curre capite inflexò ad pectus, equi cervicosi more, hoc enim signum est hominis hypocondrici, & abrepti.

10ma. Detecto capite per ambitus Conventuum aut domorum, vel manibus decussatis, quasi earum oblitus, nenincedito.

11ma. In habitu nimium quidem nitorem cavere debes, sed multo magis sordes, plumas &c. cavere debes, & religioso more debite compositum semper geras, nec caputium ad latus inflexum teneas.

12ma. Ne contemne, sed frequenter Modestiæ Regulas in memoriam revoca, defectus in ijs puni, ne vivas ut immemor disciplinæ Religiosæ, statûs Religiosi, honestatis propriæ.

Nec mirere quod *SS.* Patres modestiam tam multis commendent, quod Superiores & Magistri Spiritûs tot Regulas illius contexant, tam sollicite eas Tyronibus Religiosis inculcant, defectûs in eas puniant, nam ex lumine superno, tum ab experi-

entia

entia norunt, formam & summam exemplaritatis potissimum à modesta compositione, & disciplina morum dependere. Proinde Concilium Hildesemense in forma vitæ *Can: 19.* rectissime pronuntiavit: *Solicitudo prima Sacerdotis* [quanto magis Religiosi] *ad hoc tendere debet, ut exteriorem hominem debite componat, tam in loquendo, quam in comedendo, ambulando &c. ut quicunq; illum aspexerit, ejusq; mores consideravit, ædificetur, & dicat: Ecce Virum reformatum* & Ecclesiæ perutilem:

INSTITUTIO IV.

De nonnullis alijs Virtutibus.

NE hæc opella in vastum excrescat opus, placuit de reliquis Virtutibus breviter tantum & summarie doctrinam Tyronibus instillare, ut cùm omnia de singulis nosse nequeant, saltem aliqua de illarum qualitate delibent.

1ma. Itàq; harum est *Gratitudo.* Estq; Virtus, quâ beneficia ab alio accepta cognoscimus, æstimamus, laudamus, & pro viribus recompensare curamus.

Gratitudo porro est alia *erga DEUM* ex quo, à quo, per quem omnia prorsus bona recipimus. Et hæc præstatur DEO, recognitione, extollentiâ donorum ejus, intimo amore, humili servitio, profundâ reverentiâ, & bono ac fideli usu, talentorum

ab eo acceptorum. *Alia erga homines*, quæ exhibetur memoria beneficiorum, reverentia, obsequio, & remunerandi voluntate.

Utriusq; Gratitudinis Officia, & si DEUS non præciperet, ipsa tamen natura & ratio dictat, & extorquet, cum ex *Seneca*: *Officia etiam feræ sentiant*, indignum vero est ut in ijs redhibendis homo feris sit inferior, & ferior. Tum ipsa ingratitudinis fæditas & malitia, cum ingrato nihil sit scelestius, & ideo humanæ leges nullam huic vitio sanxere pænam, quia ipsa ejus fæditas maxima ingrato pæna est.

2da. Est *Zelus* Estq; juxta D. Bern: *hom: 38.* in Cant: Intima quædam stimulatio charitatis, pie nos sollicitantis æmulari fraternam salutem, æmulari decorem domus DEI, laudem & gloriam Nominis ejus. Ex quo patet duplicem esse zelum: Alter quo DEI gloria quæritur, & repellitur id quod est contra dignitatem ejus vg: hæreses, blasphemiæ, & alia maxime publica peccata. Alter quo bonum proximi sive temporale, sive spirituale procuratur, & malum avertitur.

Zelus prior exercetur ab omnibus quidem sed maxime à constitutis in potestate Verum DEI Cultum promovendo; peccata tum exemplis, tum monitis, tum minis, tum pænis, ab hominibus avertendo; nè DEUS inhonoretur, & Offendatur. Hæreses, errores, superstitiones, expugnando, & extirpando. Religiosam Observantiam, in omnibus Regulis, statutis, & pijs Consvetudinibus manutenendo.

Zelus

Zelus posterior exercetur. Desiderando augmentum gloriæ Divinæ, per salutem animarum, orando ferventer,, voluntarias afflictiones suscipiendo pro earundem salute; lachrimando & condolendo ob miserum statum, & pericula gravissima infidelium & peccatorum. Opera pia & quotidianas actiones DEO in hunc finem offerendo. Instruendo rudes, discolos, indisciplinatos; Conciones zelosas & efficaces ad populum faciendo. Confessiones libenter excipiendo, cùm desiderio & studio convertendi animas. Infirmis & moribundis diligenter, & de vote assistendo. Inimicorum reconciliationem procurando. Injurias graves innocentum non permittendo, sed vindicando & reparando.

3tia. Est *Mansvetudo*, quæ strictè accepta est Virtus hominibus in Potestate constitutis potissimum necessaria, quâ defectus & infirmitates subditorum supportare, & zelum ac rigorem justitiæ clementia possint temperare.

Motiva hujus Virtutis sunt potiora. 1. Exemplum Christi Domini, Supremi Pastoris, de quo prædixit Propheta *Zach: 2. Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus*, & de quo S. Bern: *Serm. de Cæna Dom. Dulcis IESUS erat in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere.* 2. Exempla Omnium SS. Patriarcharum qui Religiones fundarunt, totq; agmina hominum ad se traxerunt lenitate, & svavitate in regendo; 3. Quia teste D. Thom. 22. 9. 157. *Mansvetudo reddit hominem DEO & hominibus acceptum.* 4. Quia Zelus

absq; Mansvetudine degenerat in feritatem, unde svadetur. Eccl: 4. *Noli esse quasi leo in sylva evertens domesticos tuos.* 5. Quia ut docet S. Hieron: in Epist: ad Titum: *Nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansvetus & humilis ad omnes, ex torvo vultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrænatis supercilijs, facie inter pallorem & ruborem variata, clamore perstrepitat, & errantes non tam à bono retrahit, quam ad malum sua sævitia pertrahit.*

Mansvetudo itaq; exercetur his modis; 1. Si correctio vel punitio non adhibeatur vigente forti passione, sed eâ tepescente. 2. Si non sit interessata, id est proveniens ex odio, livore, antipathia contra aliquem. 3. Si libera sit à convitijs, & agnominibus injuriosis. 4. Si gravitas pænæ commensuretur culpæ. & exemplo DEI pæna sit infra condignum, 5. Si post pænam humiliter suscepta̅m svavitas, & charitas demonstretur. 6. Si attendatur serio quod Superior sit Pater, & Subditi Fratres. 7. Si cordi imprimatur illa Divina Veritas Sap: 6. *Potentes potenter tormenta patientur.*

4ta. Est *Simplicitas.* Quæ non significat ruditatem vel barbariem, sed Cordis rectitudinem. Estq; perfectus interiorum, & exteriorum concentus; ita ut quis intus in corde idem sentiat, quod ore profert, & interno teneat cordis affectu, quod operatione manifestat externa.

Officia itaq; Simplicitatis sunt: Ab omni mendacio, perjurio, dolo fallacia, simulatione ab

omni

omni mala intentione, ab omni malarum interpretationum temeritate, ab omni suspicionum levitate, ab omni duplicitate Cordis longissime recedere, cunctisq; candorem mentis, puritatem veritatis, & fidelitatem affectus impendere. Hanc Virtutem à nobis exigit Christus Matt. 10. dicens: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Hanc remunerat copiose. Nam Prov. 2. dicitur. *Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter.* Contrariam vero illi hypocrisim damnat: Matt. 23. *Væ vobis Pharisæi hypocritæ, Væ duplici Corde! quoniam Cor ingrediens duas Vias, non habebit successus.* Eccl: 2. & 3. De alijs Virtutibus particularibus successu temporis Religiosus Tyro doctrinam hauriet ex Varijs Asceticis libris, interim cum DEI gratia conetur se in his quæ propositæ sunt, & descriptæ exercere, profecto non exiguum fructum perfectionis in anima cumulabit.

TRACTATUS VI.

De Tentationibus.

QUandoquidem vita hominis à lapsu primorum Parentum, militia quædam sit super terram, & divinæ *Sapientiæ* decreto, nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit, magnum & periculosum certamen subire debemus variarum tentationum,

tationum, quas si cum adjutorio cælesti vincimus, inter Heroes cæli, inter milites Christi, recensemur, & gloriose triumphamus; si porro vincimur fragilitatis nostræ convincimur, & nihilum nostrum agnoscimus, ut probe docet S. Aug. in Ps. 20. *Vita nostra inquit in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione, quia profectus noster fit per tentationem, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari, nisi qui vicerit, nec vincere nisi certaverit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.* Quia vero & veterani milites Christi adhuc varijs tentationibus vexantur, [juxta illud Thom: Kemp: l. 1. c. 3. *Non est homo securus à tentationibus, quam diu vixerit, quia in nobis est unde tentamur*] & tanto magis Tyrones in Castris DEI exercituum, innumeris certaminibus sunt expositi, idcirco ut tentationes probe noscant, & discernant, utq; contra eas arma defensiva habeant, in hoc Tractatu tam genera quam species tentationum, deniq; modi easdem superandi ex doctrinis SS. Patrum & Ascetarum proponuntur.

CAPUT I.

De Tentatione ac Generibus ejus.

Tentatio est dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum. Cujus *1mo.* Sunt tria genera nam.

1ma. Tentatio est Divina, quâ DEUS hominem tentat ut probet seu probatum ostendat, sicut tentavit Job, Tobiam, Abraham, & alios. Qua ratione Salomon ait: Sap. 3. *Quoniam DEUS tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Nec huic contrarium est, quod S. Jacobus c. 1. Epi: dicit: *DEUS autem neminem tentat.* hoc enim duntaxat intelligendum est de tentatione seductiva, vel inductiva ad malum, qualis non est tentatio Divina, quia DEUS tentat homines ut Pater filios, ut Dominus Servos, ut Imperator milites. *Tribus autem modis* ut ait S. Greg: l 28. mor. c. 5. *Nos Conditor interrogare* [*seu tentare*] *consvevit, cum aut flagelli districtione nos percutit, & quanta nobis insit aut desit patientia, ostendit, aut quædam quæ nolumus præcipit, & nostram obedientiam patefacit: aut nobis aliqua occulta aperit, & aliqua abscondit, & nobis mensuram nostræ humilitatis patefacit.*

2da. Tentatio est *Diabolica* quâ dæmon nos tentat, & hanc descripsit S. Petrus Chrysol: Serm 11. *Est species fallens, quæ prospera in adversis, adversa in prosperis ocultat, humanamq; ignorantiam dolosos educit in lapsus.* Tribus autem modis nos tentat, & impetit 1mo. *hasta*: cum quasi eminus rerum externarum specie objecto sollicitat, nempe honorum, applausuum divitiarum, & aliarum mundi vanitatum. 2do. *Gladio* cum per nostrum Corpus cominus nos aggreditur, objiciendo, instillando, svadendo, voluptates ac lenocinia carnis, dis-

ſvadendo auſteritates & incommoda Corporis, mortificationem ſenſuum, jejunia, Vigilias, diſciplinas &c. Et hi duo modi vocantur paſſim tentationes à mundo & carne, ſed aptius vocari debent per mundum & carnem. *3tio. Se ipſo* cum phantaſiam ipſam invadit, eamq; varie movet, concitando ſpiritus melancholicos, & imprimendo ſpecies blaſphemiæ, timoris, deſperationis, & ſimiles. Et hoc tertium certamen eſt moleſtiſſimum, & graviſſimum, ac hominibus pietati deditis familiare, hæcq; non poſtrema cauſa eſt, Cur DEUS bonos homines ad Religionem vocet, ut Magiſtri Spirituales illis ſuppetant, quorum ductu à præſtigioſo dæmone tuti & immunes evadant.

3tia. Tentatio eſt *Humana* quâ ab homine tentamur, quod fit hiſce modis *1mo.* Cum homo noſter interior tentatur ab exteriori, nempe Spiritus à carne & ſenſualitate, juxta illud Apoſtoli ad Galat: 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum & Spiritus adverſus carnem.* Et hæc tentatio vocari ſolet communiter humana, ex fragilitate innata proveniens, juxta illud 1. Cor. 10. *Non apprehendat vos tentatio niſi humana. 2do.* Dum Superior monitis, pœnis, humiliatione, &c. probat ſubjectos, maxime novellos, num in vita & perfectione religioſa proficiant & perſiſtant. *3tio.* Dum improbus homo ſvaſu, exemplo, promiſſis, muneribus, dolo, metu, inducit hominem ad peccandum.

Rurſus

Rursus ex modo tentandi sunt tria genera tentationum.

1ma. Itaq; est *Suggestiva* à qua vix ullus hominum rationis usu præditus, immunis est; Et hæc nihil aliud est, nisi repræsentatio alicujus objecti, in mente nostra, quâ moveri possumus, ad delectationem vel complacentiam, si repræsentatur ut bonum, vel ad fugam & displicentiam si depingitur ut malum.

2da. Est *Seductiva.* Quæ est extorsio à Corde nostro alicujus delectationis seu voluntariæ adhæsionis ad objectum suggestum.

3tia. Est. *Inductiva.* Quæ extorsio à voluntate liberi consensus vel dissensus. Progressum hujus triplicis tentationis S. Franciscus Salesius in Introduct: p. 4. c. 3. tali exemplo declarat: Cogitatione depinge tibi aliquam juvenculam Principem, Marito suo percharam, & simul imaginare scelestum aliquem qui eam ad secum adulterandum invitet, internuntium sui amoris ad eam mittit. Primo itaq; nuntius Domini sui amorem Principi aperit, deinde hæc in oblata sibi propositione complacet, vel displicet, tandem consensum & præbet vel dissentit. Consimili modo diabolus, Mundus Caro, animam DEO desponsatam avertere volentes, primò ei peccatum proponunt, in quo illa delectationem vel complacentiam ostendit, demum etiam consensum præbet, & sic labitur in peccatum.

CAPUT II.

 De Spe-

De Speciebus Tentationum.

CElèberrimus in Nostra Polona Reformatione Asceseos Magister, & non vulgari Sanctitate conspicuus V. P. Chrysostomus Dobrosielski in sua Theologia Ascetica Tract. 6. viginti omnino species tentationum deprehendit & enumeravit quas Tentatores nominat, & aptis ipsi rei titulis investivit, quas his quoq; recensere, & in medium producere non piget.

1mus Itaq; Tentator vocatur *Cur.* qui adhuc in Paradiso quæstionem excitavit *Gene; 3.* Cur præcepit vobis DEUS? Iste Tentator imprimis hominem in proprio sensu & judicio firmat, deinde objicit illi quæstiones curiosas contra Superiores Fratres, Leges Religionis &c. Tandem falsas instillat rationes; Exempli gratiâ. Quærit in mente Novitij Cur te Magister sæpè monet, increpat, mortificat, fors te odit, fors te vult missum è Religione? Cur Superior hoc non illud, huic non alij demandat, cur isti dissimulat non tibi? indiscretus est vel infensus; Cur hæc sunt Sancita, inducta in Religione extra Regulam, suprà regulam? Cur tam multi infirmi, tristes? nudipedium, jejunia, disciplinæ &c. quas scrupulosi invexerunt, horum sunt causa.

Hic Tentator in re nihil aliud est, nisi abundantia in proprio sensu, & pertinax eidem adhæsio. Vincitur porrò per heroicam subjectionem sui ad omnem voluntatem & dispositionem Legum & Superiorum.

2dus

2dus Tentator vocatur *Nequaquam* Qui hominem firmat in propria voluntate, svadet non amplecti majorum salutarla consilia, monita, doctrinas, sed suæ voluntati adhærere. In periculosis vel dubijs materijs excludit timorem. vg. Consulitur Novitio: Abneget se totum, humiliet se in omnibus, vitam communem servet, orationi sedulò insistat, vel in minimis ab Obedientia pendeat, *S*uas tentationes, inclinationes Magistro revelet &c. Tentator dicit. Nequaquam, Magister vult omnia á te expiscari, alijs prodet te. Loquitur ut solent Magistri, tu fac ut faciunt alij, Consulitur Professo. Caute incedat in omnibus vijs suis, non sibi fidat, in occasionibus, familiaritatem nimiam vitet cum extraneis, absq; licentia procuret, retineat nihil, guttur non impleat, &c. Tentator dicit. Nequaquam. Næniæ sunt, quid haberent *S*uperiores ad loquendum.

3tius Tentator vocatur. *Plus*. qui alacres & fervidos, incitat ad laborandum, jejunandum, Vigilandum, supra vires, & moderamen prudentiæ, idq; facit. 1. ut eos inducat in præsumptionem; 2. in contemptum Religiosæ Observantiæ, quasi nimium sit delicata relaxata. 3. in defectionem virium, & sanitatis, ut reddantur inutiles & onerosi *S*. Religioni.

4tus Tenator vocatur *Minus* qui perducit in Acediam, & conniventiam sibi, dictaq; minus orandum, vigilandum, laborandum, abstinendum, minus desudandum in legendo, studendo, docendo, confessiones excipiendo, infirmis assistendo. Sicq; seducit ut omnia opera fiant, truncate, fraudulenter,

oscitanter, imperfectè, tædiosè, fastidiose, ideoq; parum vel nihil meritorie.

5tus Tentator vocatur. *Malius.* qui sub varijs coloribus zeli, pietatis bene constituta corrigit, & vult corrigi, Correctoremq;, trahit ad inobedientiam, ad contemptum legum Pontificiarum, Generalium, Municipalium; Ad vilipendendas Ordinationes, mandata, consilia Superiorum. Qui dæmon vexare solet potissimum eos quibus competit regi, non regere, ut eludant Obedientiam, ut causam habeant murmurandi, traducendi &c.

Præfati tres Tentatores superantur *1mo.* Observantiâ vitæ Communis. *2do* Obedientiâ & verâ Devotione. *3tio.* Humilitate & silentij amore.

6tus. Tentator vocatur *Medicus* qui instillat potissimam curam de sanitate Corporis, & conservatione vitæ, Svadet delectum magnum ferculorum, & potuum, Curationes, frequentes, longas, medicinas sumptuosas, pro quibus sæpe tantum impenditur, quantum pro cunctis Fratribus, & sæpius nullo fructu. Instillat subductiones, sui à laboribus & obsequijs, frequentes auræ, loci, mutationes, murmurationem contra Superiores, impatientiam contra medicos, Servitores, facitq;, cum talibus ut semper curentur, naturam debilitent, & nunquam sanos se esse agnoscant. Talibus cogitandum est, indignum esse Religioso, ut majorem curam habeant sanitatis quam Sanctitatis.

Hic tentator vincitur *1mo.* Contemptu vitæ præsentis miseriarum plenæ *2do.* Tolerantia, incommodo-

modorũ,ægritudinum ob Dei amorem.*3tio.*Resigna-tione sui plenâ in DEI voluntatem, & Superiorum Charitatem. *4to.* Exemplis *SS.* qui nullam penè aut exiguam sui corporis curam habuêre.

7mus. Tentator vocatur *Scrutator* cujus genius est scrutari, investigare, aliorum actiones, occupationes, arcana Superiorum, proinde incitat ut omnes angulos Officinas Conventûs circumeat, lustret, subaudiat quid alij loquuntur, consulunt, aliosq; ad id secum pertrahat, non alio fructu, nisi taxandi, vilipendendi, aliorum facta, sua illis præferendi, Superiorum decreta, sententias cavillandi. Insuper hic dæmon quandoq; instigat ad discutienda judicia Divina circa suam vocationem, prædestinationem, circa pænas quas DEUS infligit, circa Providentiam DEI,ut hujusmodi scrutatoris animum avertat à Deo, & in superbiam, aut dejectionem animi inducat.

Hic Tentator vincitur *1mo.* Abstinendo à judicijs temerarijs. *2do.* Cavendo murmurationes & multiloquia, *3tio.* Servando silentium & cellam incollendo; *4to.* Bene de omnibus sentiendo.

8vus. Tentator vocatur *Discretus* qui palpando defectus Fratrum eos contra Prælatos commovet, vocando indiscretos, importunos, austeros, & sic Fratribus dat ansam turbationum, inquietis, impatientiæ, quærelarum, rebellionum &c.

Hic Tentator vincitur æstimatione debitâ Superiorum, DEI vicem gerentium, consideratione sui Status Religiosi, qui est campus pænitentiæ, & patientiæ.

9nus.

9nus. Tentator vocatur *Zelotes*. cujus genius est commovere Zelum inordinatum, quasi ex amore DEI, & Religionis provenientem, in re autem ipsâ ex passione & amaritudine animi, quod exinde patet; si ille Zelus non sit secundum prudentiam, si non sit conditus mansvetudine, sed desinit in graves contentiones, detractiones, convitia, circumscriptiones honoris, in prostitutionem Religionis aut Religiosi, coram extraneis. Hic Zelotes impugnat aliquando Prælatos, ut excessivè puniant, furiose corrigant, aurem benignam denegent, torvum oculum, & vultum demonstrent subditis, quandoq; modicè delinquentibus, modo eorum humori aut honori rideatur adversum. Periculosius adhuc impugnat privatos, & eos quos DEUS non elegit instrumenta sui Zeli, non destinavit ad regendum, non fecit legum Custodes, & Arbitros status, nam ut plurimum tales suo indiscreto Zelo conturbant Religionem, scindunt unionem Fraternæ Charitatis, arcana sui statûs foras effundunt & innumera alia mala alijs, sibi maxima inferunt.

Hic Tentator vincitur potissimùm intimâ Charitate & verâ Humilitate.

10mus. Tentator vocatur *Sanctarellus* seu Perfectus, qui dupliciter tentat. *1mo.* insusurrando homini quod jam verè sit devotus, patiens, à passionibus expeditus, à tentationibus liber, & alijs perfectior, ut sic deducat in præsumptionem, & contemptum aliorum. *2do.* Repræsentando quàm perfecti, mortificati fuére multi *SS.* vg. *S. P.* Franciscus,

S. Petrus

S. Petrus de Alcantara, & dicit: has tu perfectiones, hanc Sanctitatem non attinges, & tamen ad eam teneris: & hoc modo vult inducere in baratrum desperationis.

Hic tentator vincitur *1mo.* Profundâ humilitate, judicando se indignum tam sublimibus gratijs, & donis quæ DEUS confert alijs. *2do.* Plena fiducia in DEO, quod sibi non denegabit auxilia ad eum perfectionis gradum ad quem illum vocavit, & destinavit.

11mus. Tentator vocatur *Curialista* qui etiam Religiosis suggerit aulicos mores, politiem sæcularem, notitias, familiaritates extraneorum, discursus de rebus sæculi movendos, importune se in omnium negotia ingerere, Arbitrum, Consiliarium, Paranymphum agere, occulta ac secreta Statuum, Personarum, investigare, audire nova, videre pulchra, habere cara & chara, scientias Curiosas, gloriosas assequi, ut ita Religiosum reddat vanum, mundanum, distractum, indevotum, nugigerulum, & Vocationis suæ immemorem.

Hic tentator vincitur. *1mo.* Vera æstimatione, & amore sui Status Religiosi. *2do.* Solitudine & fuga consortij sæcularis.

12mus. Tentator vocatur *Laudipeta.* Hic efficit ut homo quæq; opera sua bona peragit, videatur, laudetur, promoveatur ab hominibus, ut se illuc ingerat, ubi sperat applausus, ut occulta quoq; alij opera coram alijs buccinet, exaggeret, magnificet, quod sæpissime contingit cum men-

dacijs palmaribus, cum fastidio prudentum.

Hic Tentator vincitur contemptu sui, & sincerâ recognitione, quod nihil boni habemus in nobis, quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex DEO est, & omne datum optimum, descendit à Patre luminum.

Iztius. Tentator vocatur *Asmodeus.* Seu Lascivus. Hic sensus hominis incitat ad commoda quæq; corporis, ad delicias in Cibo, potu &c. ad colloquia, consortia, jocos cum alio sexu, ad aspectus illecebrosos inverecundos, ad blandos discursus, & sic per oculos, aures &c. ad cor pulsat, immittit affectus teneriores, imprimit species venustatum, audaciam facit, ad palpandum, demulcendum, osculandum &c. totamq; mentem confundit, corpus commaculat, & ad extremos casus perducit.

Hic tentator vincitur fuga suspecti consortij, disciplinis, jejunijs, & alijs austeritatibus, non exiguis sed heroicis.

Iztus. Tentator vocatur. *Tetricus.* Qui biloso & melancholico humore utitur pro instrumento, eundem commovendo, & cogitationes amaras, timidas, iracundas, turbulentas, in mente excitando, ita; ut hominem reddat tristem, inconsolabilem, impersvasibilem, impatientem. Pro fomento autem utitur passione amoris proprij, quem sufflaminat in ijs. Fitq; ut homines vere tetrici consortium prudentum, Seniorum, & serenæ mentis hominum aversentur, ne forte eis succenseant,

& cum

& cum vilibus, levibus, converſari ament, eorumq; conſilia acceptent, ſicq; miris phantaſijs, ſcrupulis agitati, aut inutiles, aut intolerabiles Religioni evadant, & aliquando in deſperationem incidant.

Hic tentator in principijs ſtatim vincendus eſt. *1mo.* Fuga otij, & labore honeſto. *2do.* Vitæ communis obſervantia. *3tio.* Conſortio hominum ſereni, & tranquilli animi.

15tus. Tentator vocatur. *Blaſphemus.* qui mentem compulſat cogitationibus blaſphemis contra DEUM & res Divinas, contra B. V. & SS. Hic quidem maxime familiaris eſt tetricis, otioſis, ſcrupuloſis, quanto tamen eſt moleſtior, tanto minus periculoſius animabus, quis enim ex credentibus amantibusq; DEUM tuto jurare queat, ſe blaſphemis cogitationibus advertenter conſenſiſſe? Porro immittit dæmon haſce cogitationes, ſeu depingit in mente hominis ſpecies blaſphemiæ, ut pios conturbet, DEUS autem permittit ut humiliet & probet.

Hic Tentator non tam facile vincitur reſponſione ad illius objecta queis indignus eſt, ſed *1mo.* Contemptu generoſo. *2do.* Profunda humilitate. *3tio.* Forti in DEO fiducia. *Svadeo* inſuper in hoc moleſto prælio invocare Patrocinium *S.* Catharinæ *Senenſis* Virg: quod me conſulente plurimis à *Spiritu* blaſphemæ vexatis feliciter ceſſit.

16tus. Tentator vocatur. *Placentinus.* ideſt amor placendi, & timor diſplicendi, hujus ge-

nius eſt favorem, amicitiam, benevolentiam gratiam hominum magnificare, ac nimio ſtudio captare, aſſentari, adulari Majoribus, laudare mal[e], connivere peccantibus, ne alicui forte diſpliceat.

Hic Tentator vincitur *1mo.* Rectitudine Cordis, *2do.* vera humilitate.

17mus. Tentator vocatur *Damnax.* Cujus genius eſt nodum quærere in ſcirpo, omnia damnare, cavillari, in reprobum ſenſum detorquere.

Hic vincitur Charitate, & ſuorum defectuum agnitione ſincerâ.

18vus. Tentator vocatur *Lingvax.* Cujus genius eſt incitare homines ad multiloquia, vaniloquia, ſcurriloquia, turpiloquia, & ſuppeditare materiam fandi, per multas horas, ut in ijs ſpiritum devotionis extingvat, ſocios converſationis ſcandalizet, jurgia ſeminet, arcana detegat, & pretioſum tempus eripiat.

Hic tentator vincitur *1mo.* Amore ſolitudinis, *2do.* Lectione diuturna honeſtorum & ſpiritualium, *3tio.* Caſtigatione lingvæ vg. lingendo illa pavimentum.

19nus. Tentator vocatur *Conſultor* ſeu *Si* cujus genius eſt incautis proponere quæſtiones Hypoteticas, ſeu conditionatas ut eos illaqueet. vg. Proponit Novitio. *Si* dimittereris è Religione quid faceres? Fieres Prælatus vel nuberes, haberes honores, Opes, eleemoſinis Cælum tibi emeres, & ſvavius ac ſecurius viveres &c. Vel Profeſſo. *Si* te aliquis ſcommatibus impeteret, ſi ab hoc loco,

ab hoc

ab hoc Officio amovereris? Certe deberes pro tuo honore agere; accusare, conqueri coram *Superioribus*, favores protectiones Magnatum quærere &c. Vel proponit. *Si* es condemnandus. Quid tibi & in hoc & in altero sæculo torqueri, affligi &c.

Hic Tentator vincitur. *1mo.* Magnanimitate, *2do.* Firmâ intentione perseverandi. *3tio.* Proposito patiendi propter DEUM. *4to.* Spe firmâ in DEI bonitate.

20mus. Tentator vocatur *Accusator Fratrum*. Cujus genius est stimulare vg. Religiosum ut se defendat & excuset in suis defectibus, refundendo in alios, quod hoc fecerint ex indiscretione *Superiorum*, ex consilio aliorum, ex malo exemplo, nam alij hæc illa patrant, & connivetur illis. Hic me ad passionem perduxit, seduxit, modum porrexit &c.

Hic Tentator vincitur. *1mo.* Amore veracitatis *2do.* Recognitione suæ culpæ & imperfectionis.

CAPUT III.

De Remedijs contra Tentationes.

PRæter hæc media superandi tentationes, quæ in superiori Capite sub tentatoribus enumeratis porrecta sunt, Magistri Spirituales probatissima

sima arma ad eas expugnandas & fugandas commendant, seu generalia præscribunt remedia tentationum, ex quibus

1mum. Remedium est. *Fides.* Seu fiducia in DEUM, nam ideo juxta *S.* Gregor: *l. 9. mor. C. 36.* Sanctos tentari permittit, ut dum pulsata mens trepidat, in solo *DEI* adjutorio *Spei* pedem robustius figat.

2dum. *Oratio.* Seu elevatio mentis ad DEUM, tum præsentiam ejus attendendo, tum auxilium implorando, maxime per jaculatorias precationes, vg. *Salva* me Domine pereo! Domine vim patior responde pro me! Miserere mei DEUS & salva me! *DEUS* in adjutorium meum intende! O JESU ne permittas me separari a te, &c. Id remedij utiq; Christus ipse præscripsit Matt. 26. *Vigilate & orate ut non in tretis intentationem.* Hinc magnus Asceta V. P. Joannes Avila dictitare solebat! *Tentatio ad te, tu vero ad DEUM.*

3tium. *Humilitas* vera, sic enim *S.* Antonio M. dum mundum totum laqueis plenum videns quæsivit quis eua surus sit? responsum est de Cælo. *Humilis.* Et *S.* Chrysost: *hom 20.* in Acta dixit: Nihil humilitate potentius, omnibus diaboli machinamentis sublimior facta contingere volentibus insuperabiles facit.

4tum. *Detectio* seu revelatio tentationum Magistro Spirituali, ut enim dicit. *S.* Cypr. l. de Zelo & liv. *Facilis est cura, ubi plaga perspicua est, & cito ad sanitatem medela subveni-*

ente

ente perducitur vulnus, quod videtur. Unde omnes *SS.* Patres potissimum hanc doctrinam suis imprimebant discipulis, quatenus secretum diabolo non tenerent, sed tentationes suas Magistris candide aperirent: nimirum juxta *S.* Ignatij *S. I.* dictum: dæmon similis est amatori impuro, qui puellam seducere volens, nihil magis studet, quam ut puella conatus ejus Patrono non indicet.

5tum. Principijs obstare. Nam teste *S.* Chrysologo *Ser.* 1. *Diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, Sancta in ipso ortu festinat extingvere.* Et *S.* Hyeron. monet. *Dum parvus est hostis, interficiatur, ut nequitia elidatur in semine.* Proinde vigilandum est, in primis suggestionibus, mora deneganda, animus avertendus, cor amore, timore DEI vallandum, & armandum.

6tum. Fortiter resistere ut docuit *S.* Jacob: Apo. C. 4. *Resistite diabolo & fugiet à vobis.* Isthæc resistentia consistit in firmo proposito, non peccandi, sive in uno hoc Verbo *Nolo*; tum in generoso contemptu tentatoris, tum in heroica aliqua actione tentationi contraria.

7mum. Occasionum fuga; quod remedium maximæ virtutis est contra tentationes carnis, ut enim scripsit *S.* Hyeron. Ep. 47. *Quis unquam juxta viperam securos somnos carpsit. Securius est, perire non posse, quam juxta periculum non perijsse.* Proinde fugiendæ sunt occasiones maxime proximæ, prorsus vero non quærendæ, nam quæsita occasio est insuperabilis.

8vum.

8vum. Virutis contrariæ exercitium, ſic *Su.* perbia curatur humiliatione, luxuria mortificatione, acedia devotione, & ſic de cæteris.

9num. Victoria diverſæ paſſionis, aut tentationis. *Sic* luxuria ſæpe vincitur, victoria avaritiæ, ira vincitur devotione, vg convertendo ſe ad Chriſtum Paſſum.

Quia vero perſæpe in tentationibus noſtris dubium belli evenrum experimur, nonnunquam victi, aliquando victores cum gratia DEI recedimus. Ideo Magiſtri Spirituales præſcribunt, poſt tentationem tria ſpecialiter obſervanda eſſe *1mum*. Ut debitæ *DEO* pro obtenta victoria gratiæ perſolvantur. *2dum*. Ut nemo putet ſe eſſe iam victorem & ſecurum in poſt, dæmon enim velut Hydra eſt, habens capita ſeptem, quorum unô reciſo excreſcit aliud. Proinde ſtet ſemper in timore DEI, & paratus ſit ad nova certamina ſubeuuda. *3tium*. Ut ſi quis in tentatione victum ſe eſſe advertat, nunquam animo concidat, nunquam cogitationem hanc admittat. *Non potero vincere:* quæ mere diabolica eſt muſcipula. *Sed* ſervet doctrinam Thom. Kemp. l. 3. c. 6. *Certa tanquam bonus miles, & ſi interdum ex fragilitate corruis, reſume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia.* Potens eſt enim DEUS omnem gratiam abundare facere in vobis, ut aſſecurat Apoſtolus. 2. *Cor:* 9.

TRA-

TRACTATUS VII.

De mortificatione Hominis. Interioris & Exterioris.

EXperimento omnium servorum DEI constat nec tentationes superari, nec vitia extirpari, nec virtutes solidas inseri, nec perfectionem Christianam & Asceticam posse acquiri absq; mortificatione; sicut enim terra in qua degimus maledicto primi Parentis nostri supposita, absq; tribulis & spinis esse non potest ni fodiatur, & vomere scindatur, nec fructus arborum producere valet, ni luxuriantes rami & spurij stolones præcidantur, ita cordis humani terra, nisi exuberantium vitiorum copjam in ea cultro Mortificationis succidas, non proferet fructus salutis fructus honoris & honestatis, sed tribulos malorum affectuum, tentationum, & fructus mortis germinabit. Quare monet *S*, Bern: *Ser. 58. in Cant.* ut semper manu tractemus ligonem mortificationis, quia nullus nostrum est cui non sit necesse resecare semper motum aliquem, vel inordinatum desiderium. *Quis (inquit ille) ita ad unguem omnia à se superflua resecavit, ut nihil habere se putet putatione dignum Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur, parum ergo est semel putasse, sæpe putandum est, imo si fieri potest sem-*

per, quia semper quod putari oportet, si non dissimules, invenies. Qua de causa & Apostolus 1. *Cor.* 4. adhortans discipulos ad mortificationem, vigilanti termino dixit. *Semper mortificationem IESU in corpore vestro circumferentes, ut & vita IESU manifestetur in vobis.* Hoc igitur in Tractatu doctrina traditur, tam de mortificatione in Communi quam in speciali.

CAPUT I.

De Mortificatione in Communi.

MOrtificatio juxta Jac Alvarez, est spontanea liberaq, animæ a vita carnali separatio, & virium tam externarum quam internarum ab illicitis operibus repressio. Exprimitur in S. Scriptura varijs nominibus, & principaliter.

1. Vocatur *Mortificatio* juxta illud *S.* Pauli 1. Cor. 4. sup allatum, & ad Coloss 3. repetitum. *Mortificate ergo membra vestra.*

2. Vocatur *Abnegatio* juxta illud Christi *Matt.* 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.*

3. *Renuntiatio* juxta illud *S*alvatoris Luc. 14. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

4. *Circumcisio* Spiritualis. juxta illud S. Pauli ad

li ad Coloff. 2. *Circumcisi estis, non circumcisione manu facta, in expoliatione Corporis carnis, sed in circumcisione Christi.*

5. *Jejunium* juxta illud Isaiæ 58. *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.*

6. *Odium sui* juxta illud Christi Joan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam.*

7. *Violentia,* juxta illud Salvatoris Matt. 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti* [id est vim sibi inferentes]: *rapiunt illud.*

8. *Crux* juxta illud Christi Matt. 10. *Qui non accipit Crucem suam* [id est libere a se assumptam vel acceptatam] *non est me dignus.*

9 *Mors* vocatur, juxta illud S. Pauli ad Coloff. 3 *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo,* sumendo scilicet effectum pro ipsa causa, quo sensu Eusebius. Nerembergius dixit: l 3. doctr. ascet: c. 27. *Quid est Mortificatio nisi mors anticipata? mors hominis vivi, mors ante mortem, mors spontanea, mors voluntatis, mors difficilior.*

Mortificatio sic descripta dividitur 1mo. In *Necessariam, & Liberam,* vel ut Ascetæ loquuntur, in eam, quæ est Necessitatis, & illam quæ est Supererogationis. *Necessaria est,* per quam appetitus nostros ab illicitis desiderijs, & actionibus cohibemus, & idcirco omnibus hominibus est ad salutem necessaria. *Libera est* per quam à licitis vo-

luptatibus, aut operibus abstinemus, atq, adeo ijs qui ad perfectionem tendere cupiunt specialiter convenit. *2do.* Dividitur In *Corporalem & Spiritualem. Ima.* Corpus exercet, & nomen exterioris pænitentiæ sortitur, cujusmodi sunt usus ciliciorum disciplinarum, durus lectus, vilis cibus, genuflexiones, hameuniæ (seu cubatio in terra) asper Corporis habitus. Et hæc Mortificatio est *Hominis exterioris* quia per hominem exteriorem non intelligimus superficiem aut formam externam hominis, at potius membra sensusq; hominis. *2da.* Consistit in mortificatione passionum, in abnegatione proprij judicij, voluntatis, & amoris inordinati; quia per *hominem interiorem*, non intelliguntur partes interiores humani Corporis, ut vg. cerebrum, pulmones, jecur, hepar &c. sed passiones animi, & internæ potentiæ animæ.

Mortificatio utraq; tam corporalis quam Spiritualis ut sit efficax, rationabilis & salutaris, Magistri Asceseos præscribunt quasdam Regulas, quam scitû tam servatu necessarias, pro deditis mortificationi, quarum.

Ima Regula est. Ut sciat credatq; passiones vitiorum non posse exterminari, sed tantum supprimi, & quodam modo religari. Quod eleganter suo more docuit S. Bern serm. 5. in Cant. *Quantumcunq; in hoc Corpore manens profeceris, erras si vitia putes emortua, & non magis suppressa: velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus* [Concupiscentia scilicet carnalis] *subjugari namq;*

ri namq; poteſt, exterminari nequaquam. Proinde Aſceta quantumvis mortificatus videatur, nunquam ſibi præfidat, nunquam in hoc ſtadio ceſſet.

2da eſt: Ut non ſimul & conjunctim, contra omnia vitia, & paſſiones pugnare nitatur ſed per partes, incipiendo à debilioribus, vel à magis moleſtis, & ſibi periculoſis. Quis enim ſimul totum exercitum delevit? quis ſimul totam arcem demolitus eſt?

3tia eſt. Ut non præfervide at diſcrete in mortificando ſe procedat, nam immodicus fervor cito deferveſcit, & indiſcretio vires potius attenuabit quam paſſiones. Egregie monet *S.* Greg. l. 8. Mor. c. 28. *Sic neceſſe eſt ut artem continentiæ homo teneat, quatenus non carnem, ſed vitia carnis occidat, nam plerumq; dum plus nimio caro reſtringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoq; vel prædicationem non ſufficiat, dum incentiva vitiorum in ſe funditus ſuffocare feſtinat.* Proinde novelle Aſceta cave, ne nimijs & multiplicibus rigoribus te dedas, nec ullas mortificationes corporis particulares aſſumas, absq; ſcitu & conſilio tui Magiſtri, alias errabis, meriti vacuus eris, & prius te fruſtra conficies, quam in ſpiritu & virtute proficies.

CAPUT II.

De Mortificatione hominis Interioris.

MUltorum palmaris error est, qui totam perfectionis Christianæ & Asceticæ structuram, à mortificatione exterioris hominis incipiunt, quasi domum à tecto vel turrim à fastigio moliri, prudentis foret Architecti. Imo quod mirandum ac dolendum pariter est, etiam intra Asceteria nonnunquam reperiri tam anili, & plebejo errore detentos, ut pene totam summam perfectionis collocent in mortificatione externa, suosq; discipulos aut subditos ante omnia, & præ omnibus, in solis exterioritatibus vg. labore manuali continuo, disciplinis, longa genuflexione, particularibus jejunijs, exerceant; non attendentes illam veritatem Apostoli. 1. Tim. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Interim posterius studium adhibent, tam in se, quam in alijs de mortificatione hominis interioris, suntq; similes illis piscatoribus qui magnum piscem per squammas aut caudam, non per branchiam aut caput attrahere volunt. Meminisse deberent illius moniti Angelici, quod S. Raphael dederat Tobiæ juniori, dum piscis immanis exivit ad devorandum eum: *Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te, exentera hunc piscem, & cor, & fel ejus, & jecur. Tob. 6.*

Ita pro-

Ita profecto apprehendere prius convenit branchiam, considerare sive in se, sive in alijs, quod caput est vitiorum, quæ sunt inclinationes, vel propensiones Cordis, ad quod & quantum malum? easq; exenterare, iisdeq; lustrando, media supprimendi adhibendo. deinde etiam ad mortificationem externam cum prudentia & discretione procedere, quod ut eveniat, notanda sunt, & reverenter imprimenda, memoriæ documenta Magnorum vitæ Spiritualis Magistrorum, quos & non vulgaris commendat Sanctitas, & donum scientiæ Sanctorum creditur illis infuisse. Ex multorum numero sit S. Joannes a Cruce, qui l. 1. c. 8. Ascens. de subjecta re sic profatur. *Merito deflenda est quorundam inscitia, qui immoderatis se se onerant, vitæ austeritatibus, alijsq; multis* [loquor nunc de voluntarijs seu sponte susceptis] *parum discretioni conformibus exertitijs, spem suam in illis reponentes, seq; illis solis absq; mortificationis apetituum suorum in alijs rebus studio sufficienter ad Divinæ sapientiæ unionem perventuros arbitrantes. Verum aliter se res habet: haud quanquam enim eo attingent, nisi omnem adhibeant curam in illis appetitibus resecandis.* Hinc in vita S. Philippi Nerij. l. 2. c, 14. legitur, ipsum magnifecisse eos, qui mortificationi Corporis moderate intenti, inmortificanda præcipue voluntate & intellectu omne suum studium ponebant. Quæ omnia corroborata manent ex eo, quod scribit Ludov. Blosius. c. 2. §. 2. de S. Catharina

Sen-

Senensi, sic disserens: *Docuit eam Dominus, quod vera Sanctitas non consistat in illis arduis pænitentiæ operibus, exercitijsq; corporalibus, sed in propriæ voluntatis ac vitiorum mortificatione.* Proinde his præmissis ut certis, doctrinæ traduntur sequentes

1ma. Quod mortificatio hominis interioris sit abnegatio sui ipsius, nempe proprij judicij & voluntatis, ac appetituum qui ex ipsis procedunt; hanc abnegationem ut Alpha seu principium perfectionis ipse Christus statuit *Matt. 16.* inquiens. *Si* quis vult post me venire, abneget *semetipsum* & tollat, Crucem *suam* & sequatur me Quid est *semetipsum?* nisi hoc, quô vere est homo, nempe intellectum & voluntatem. Quid est hoc *suam?* nisi in se manentem, internam, nempe appetitus & passiones repugnantes.

2da est! Quod intellectus mortificatur maxime his modis, 1. Cohibendo cogitationes inutiles, impertinentes, lubricas, malitiosas. 2. Cohibendo vanam curiositatem, ex qua nullus fructus sequitur, 3. Reprimendo pertinaciam judicij proprij, & cedendo de sententia, quando exinde nec Fidej detrimentum, nec scandalum, nec simile malum sequitur. Unde S. Dorotheus antiquissimus Magister Asceseos, hasce doctrinas instillabat suis discipulis Serm: 1. de Obed: *Inter ambulandum titillat animum cogitatio, caput flectendi in alteram partem, circumspiciendiq; quid isthic rerum agatur, ne feceris! Dum colloqueris alijs, incessit te cupido*

addendi

addendi proposito quidpiam valde accomodum, ex quo prudens audias. cave illud dixeris! svadet tibi cogitatio tua: adi coquum & interroga, quid paret obsonij? non obtemperes! Cernis forte quidpiam, svadet tibi cogitatio, ut interroges, quisnam illud attulerit? missum ne sit an pretio emptum? non interroges! Venit homo aut peregrinus, cuperes statim nosse quisnam sit, undenam, quo tendat, & ad quid veniat? noli velle scire, sed mortifica appetitum tuum.

3tia est. Quod voluntas mortificetur potissimum his modis. 1. Conformando eam, & subijciendo humiliter voluntati Divinæ, ac omnem ejus reluctantiam heroice vincendo. 2. Agnoscendo in veritate, eam esse cæcam, fatuam, & perversam. 3. Subijciendo eam libenter voluntati Majorum. 4. Præponendo vel minimum actum ex obedientia, maximis quibusq; ex propria voluntate procedentibus.

4ta est. Quod appetitus intellectus & voluntatis mortificentur, [nempe in intellectu superbia, ambitio, præferentia sui, in voluntate, ira, dolor, amor proprius, acedia] his modis. 1. Resistendo primis eorum motibus, 2. Non laxando illis habenas in animo, 3. Puniendo eos in se contrarijs actibus virtutum.

Hi porro & alij modi mortificandi hominem interiorem, quantum DEO placeant, quantumq; sint meritorij ostenditur exemplo S. Dosithei qui nactus Præceptorem S. Dorotheum, taliter ab eo

regebatur. Nullos ei labores aut aufteritates graves imponebat, fed continuam ei dabat occafionem mortificationis internæ, exempli caufa: quando advertit in ipfo aliquem affectum vg. ad veftem aliquam, mox eam alteri cedere præcipiebat: videns quod fibi in re aliqua affabre facta complaceret, eam deftrui curabat. Quando illum vidit curiofum, rem aliquam fciendi, ne verbum quidem ei refpondebat, cumq; is fine turbatione aliqua in omnibus fe fubmitteret, per hoc folum exercitium quinque annorum fpatio eo pervenit, ut in cælo federe meruerit fupra multos alios fuæ Religionis *Sanctos* eximios, ita enim Dorotheo Divinitus revelatum fuerat. Cumq; cæteri Monachi hunc *ejus* profectum admirarentur, fiquidem ut complexione delicatus erat, afpera ficut cæteri jejunia non fubibat, non vigilabat, neq; aufteritatibus & rigoribus deditus erat. B. Dorotheus unicam effe dixit caufam cur ad tam eminentem pertigiffet *Sanctitatem?* quia in omnibus rebus voluntatem fuam, ac proprios appetitus abnegare, feq; mortificare confveverat. Præcepta hujus *Sancti Senis*, & exemplum *Sancti* Juvenis, tu quoq; Novelle Afceta fequere, volun tatem & appetitus proprios, ante omnia comprime, [non jejunia, non vigilias, non catenulas, non difciplinas, ex propria voluntate practica, quas prudentius denegare folent Superiores, quam concedere] fed voluntatem tuam reprime, judicium tuum in omnibus fubde, appetitus fræna, & evades gloriofiffimus in Cælo Dofitheus.

CAPUT.

CAPUT III.

De Mortificatione hominis Exterioris.

LIcet prima debeat esse nobis cura mortificandi hominem interiorem, non minima tamen incumbit frænandi, & intra orbitam rationis continendi hominem exteriorem, scilicet sensus, & membra nostra, ut hortatur Apostolus Colos. 3. *Mortificate ergo membra vestra.* Nam licet caro nostra sit animæ servus & instrumentum actionum, ni tamen in officio contineatur, rebellabit spiritui, juxta illud Prov: 29. *Qui delicate a pueritia nutrit servum, postea sentiet eum contumacem.* Et proinde omnes DEI servi juxta mensuram collatæ sibi gratiæ, juxta virium qualitatem, mortificationi quoq; Corporis insistebant. *Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis,* ut dicit Apostolus. *Gal.* 5. Cum tamen inveniri nequeat, unicus modus & ratio mortificandi carnem, cum non una quoq; sit hominum complexio, robur, & vigor, non una Conditio, libertas, obligatio, ideo Magistri Spirituales, ad mortificandam carnem varias regulas, cautelas modosq; præscripsere, è quibus hæ ad usum Tyronum seliguntur, quarum.

1ma Regula est Nec nimis indulgendum, & parcendum est Corpori, nec nimis affligendum vg.

usq; ad defectionem virium, in primo enim est vitium ignaviæ, in secundo temeritatis. Unde ipse Christus S. Petrum Cœlestinum nimijs se mactantem jejunijs, aliquando redarguit dicens. Noli Petre onus tam grave asello tuo imponere, quoniam si perimis eum onere indiscreto, rationem DEO redditurus es pro eo: debitor est tibi, rationabilis servitutis, & tu illi necessariæ sustentationis; si vis portari, porta.

2da Jllas mortificationes præpone quibuscunq; alijs quæ subeuntur ex Instituto Religionis tuæ, aut ex superiorum Obedientia. Scitoq; nihil animæ tuæ securius, nihil DEO acceptius fore, quam si omnes austeritates tuæ Religionis subeas, vg. punctualiter ad omnia officia accurendo, exactissime implendo demandata, nullas disciplinas omittendo, non parcendo voci in Choro, non connivendo manibus in labore non pedibus in stando, non capiti in studio, non alijs sensibus in genuflexione, in vigilijs, in jejunijs præscriptis, in inclinationibus debitis, & similibus exercitijs corporalibus.

3tia Jllas mortificationes præpone & corpori impone, quæ non solum homini exteriori id est membris tuis sunt molestæ, sed simul homini interiori sunt fastidiosæ, id est judicio & voluntati tuæ propriæ. Sic vg Demandat tibi superior ex improviso severe & innocenter facere disciplinam per Ave Maria, subi illam potius libenter ac hilariter, quam nescio quam prolixas & cruentas disciplinas, vel catenulas ferreas ex propria voluntate Sedere

te ju-

te jubet commode, dum tu vis per hortum decurrere, aut in eo laborare, aut iter longum cum fatigio perficere, ſede potius quam illa fac Et ſic de cæteris innumeris.

4ta Jllas mortificationes præpone, & adhibe corpori, quæ minus oculis hominum, & vanæ gloriæ ſunt ſubjectæ, ne lucrum ſpirituale amittas. Proinde dum adhuc es in Tyrocinio Religioſo, jejunia privata vg ad B. V. M. ad *Sanctos* in qualitate ne practices, ne videaris ab hominibus jejunans, ne ad hæc licentiam extorqueas, ſed ſi vis placere DEO & *Sanctis*, ab aliqua communi portione ſapidiori abſtine, vel ex ſingulis partem relinque; & peroptimum crede, conciliare tibi favorem *Sanctorum*, aliqua tui heroica victoria, vel talibus mortificationibus quæ nulli poſſunt innoteſcere, qualium modos porrigit *S.* Franc. *Saleſius.* Vg. *Stando* diu ſitum non muta, ſed in eodem perſevera: orando, nihil circumſpice, aliquando tene diu manus impoſitas manicis æqualiter, nonnunquam diu complicatas, vel ſi privatim ores ſolus, in ſublime erecta, vel poſt tergum retortas, vel fortiter expanſas, vel frigori expoſitas. &c. Item vg pedes diu tene æqualiter compoſitos, ad latus te ne inflectas, digitos diu non moveas, ſi in ſandalijs aliquis ſcrupus ſit, diu illum toleres. Item dum comedis aliquod obſonium cum guſtu, ſæpius interpolles prius manduca quod non adeo ſapit. Ajentaculis, merendis prorſus abſtine. fructus arborum ne comede, ne tange, extra horam refecti-

 onis

onis nihil manduca, vel bibe. Hæc & similes privatæ exercitationes corporis, judicio Virorum Sanctorum, & Jlluminatorum, conveniunt Juvenibus Religiosis potius, quam disciplinæ extraordinariæ, jejunia, catenulæ, cilicia setosa &c. quæ passim assumuntur contra vel præter Majorum licentiam, idq; efficiunt in imperitis rerum spiritus, ut dum volunt evadere mortificati, non vereantur esse proprietarij & superbi.

Adverte tamen novelle Asceta, quod dum tibi svadeam mortificationes occultas, non ita velim intelligas ut te subducas ad reconditos angulos Ecclesiæ vel Conventus, ut nequeas inveniri, vel ita te in Cella recludas, ut non possit aperiri, vel in horti recessibus latites vg. pro faciendis disciplinis, hæc namq; Religioso non conveniunt, ac prudenti, sed sunt familiaria tetricis, hypocondricis, scrupulosis, semifatuis, quos nunquam imitere.

5ta Cum quinque sensus Corporis nostri, nempe Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus, sint quinque proditores nostri qui nos tradunt in duram servitutem passionibus, & concupiscentijs nostris; sunt prædones qui deprædantur animam nostram, thesauros innocentiæ, castitatis, honestatis, diripiunt, æquum est & salutare omni custodia super ipsos vigilare, eos in disciplina & nervo continere, sævientes acriter punire. *Sic Visus*, seu oculi, qui potissimum sunt innocentiæ scopuli, qui sunt fenestræ per quas mors peccati ascendit, continendi sunt. *Imo.* à quibuscunq;

aspecti-

aſpectibus impudicis, inverecundis, vivorum, pictorum, ſculptorum objectorum. *2do.* Ab aſpectibus etiam licitorum (ut faciebus venuſtis) nimium liberis, fixis frequentibus *3tio* Ab aſpectibus nimium curioſis, vanis gyrovagis, diſolutis, nam hi faciunt hominem diſtractum, diſperſum, & oſtendunt ſui immemorem. *Auditus.* Fræhari debet. *1mo.* à verbis, cantionibus, diſcurſibus, honeſtati & pudori contrarijs, *2do.* à detractionibus, blasphemijs, litigijs, mendacijs perjurijs, ne cenſearis iſta approbare, ne ve fors illis aſſveſcas. *3tio* à verbis adulatorijs, laudatorijs, aſſentatorijs, ne quando iſtis pelliciâre. *4to.* à Muſicis, cantibus, luſibus nimium delicatis, affectatis, illecebroſis nam hæc ſæpe lenocinia ſunt Cordis, etiam Religioſi. *Olfactus.* licet videatur innocentior cæteris ſenſus, mortificari tamen debet. *1mo.* Abſtinendo penitus à delicatiſſimis odoramentis, ſuffumigationibus; hæc enim non redolent virum. *2do.* In uſu quorundam herbarum vg Tabaci, uon excedendo, nec oblectationem quærendo, ſed utilitatem. *3tio.* Fætores infirmorum, latrinarum, fumi, patienter tolerando. *Guſtus & Os* Contineri debet. Ille frequentibus abſtinentijs, Hoc ſilentio, & punitione linguæ procacis, lubricæ, vg verrendo lingva pavimentum non conniventer, lapillos in bucca geſtando, baccillum loco fræni ori apponendo. *Tactus.* Omnium pene ſceleſtiſſimus, cum innumeris modis pugnet contra animam, varijs ac varijs modis eſt mactandus; ſicuti aliquis nebulo in

omni

omni genere pessimus, à Domino vel judice mulctatur varijs pœnis, jam virgis, jam loris, jam fustibus, torquibus, pedicis, fame, siti, algore, frigore, nuditate, carcere. Quæ omnia Tactus frænacula texere longum esset satis edocent exempla SS. & piorum hominum, plura Unctio Spiritus S. edocebit. Ad hoc propositum relegere non pigeat illa, quæ tradita sunt supra *Tract. V. cap. 2. Instit. 3. cap. 3.*

6ta. Communis, omnibusq; notanda. Regula est: ut secundum mensuram delicti, sit & plagarum seu mortificationum modus Non piget ad hanc rem adducere doctrinam *S.* Gregorij Papæ *homil. 20.* in Evang. qui explanans illud *Lucæ C. 3.* Monitum: *Facite ergo fructus dignos pænitentiæ.* sic profatur: In quibus verbis notandum est, quod amicus sponsi non solum fructus pænitentiæ sed dignos admonet esse faciendos, aliud namq; est fructum facere pænitentiæ, aliud dignum pænitentiæ fructum facere. Lege ulterius in Breviario Dominica 4tâ Adventus. Proinde illis quos conscientia redarguit, sive de gravibus delictis in sæculo, sive fors in Religione commissis, maxime carnalibus, scandalosis, graviores etiam mortificationes corporales assumant. [supposita tamen prudentia, discretione, licentia vel consilio,] & eas pro satisfactione DEO offerant, nequaquam tamen ex illis arduis suis pænitijs tumescant, aut magnis rigoribus assveti, ferociant in alios minora peccantes, & in potestate aliquandò constituti

stitutî nimium austere cum ijs procedant. Quod si vero aliquos immunes à gravibus peccatis Divina Misericordia servavit, possunt in mitioribus pænitentijs persistere. Si tamen hi quoq; sentiant in animo stimulos ad acres & graves pænitentias, vg. legendo, audiendo exempla tot Sanctorum in magna innocentia, at simul in magna viventium pænitentia, ut vg. S. Petrus de Alcantara, primum attendant, non omnibus omnia proposita esse ad imitandum, sed aliquando ad admirandum, deinde probent Spiritus utrum ex DEO sint, orent DEUM pro majori lumine, metiantur vires suas, officia, obedientiam, mortificent prius hominem suum interiorem quam perfectissime, & tunc demum ad graves illas corporis austeritates procedant.

APPENDIX 1ma.

De Scrupulis & Scrupulosis.

NUllus inficias ibit, eos prospere in stadio perfectionis procedere qui liberam ac pacatam habent conscientiam, eos vero qui inquieto sunt animo, quasi in salebris & scrupis in via Dei offendere. Hanc porro animi inquietem, & tormentum causare solent scrupuli. De quibus proinde ac eorum remedijs porrigitur hic brevis doctrina.

1mo. Igitur describitur Scrupulus, *quod sit inani ratione nixa apprehensio, indeq; natus timor & anxietas mentis alicubi peccatum esse vel fuisse,*

ubi revera nihil eſt. Ex qua deſcriptione rite inferes, aliud eſſe Conſcientiam Timoratam, aliud Conſcientiam *S*crupuloſam. Conſcientia enim Timorata ſeu delicata, eſt dictamen prudens, rectæ rationi ac ſtabili fundamento innixum, huic nempe: Quod talis actio præcepta ſit à Deo vel prohibita: quod ex illa ſequatur grave periculum vel damnum aliorum: quod ſit præjudicioſa, indecora, ſuo *S*tatui, Characteri, Officio. Conſcientia verò *S*crupuloſa eſt dictamen imprudens, & quodammodo puerile, fingens & prætexens præceptum, aut periculum, aut ſcandalum, ubi revera non eſt. Pro exemplo Conſcientiæ Timoratæ habeto. Petrus Religioſus ætate Juvenis, veretur ſemper offendere Superiores, Seniores, vel nimis familiariter, audacter, procaciter, irreverenter cum eis procedere. Item veretur conſortia familiaria ſexus extranei. Item diſſolvere linguam, diſceptare, controvertere cum dignis Perſonis. Item jocari nungasq; exercere, cyathos euacuare cum ſæcularibus, licet alioqui non ad ebrietatem. Ne tu talem ſcrupuloſum, at potius Timoratum cenſeas: Quia in primo caſu adeſt præceptum Divinum: *Honora Patrem tuum*, quod extenditur etiam ad Patres *S*pirituales & morales. In ſecundo, adeſt periculum lædendæ caſtitatis; nam affectus familiares, degenerant in carnales. In tertio adeſt ſcandalum. In quarto præjudicium & dedecus *S*tatui Religioſo.

Pro exemplo Conſcientiæ *S*crupuloſæ habeto. Paulus Religioſus vocatus ad chorum, incunctanter accurrit,

accurrit, vult, laudare Deum, satisfacere præcepto Ecclesiæ aut Regulæ, non dormitat, non circumspicit voluntarie, decantat omnia: interim timet an rite Officium absolverit, rimatur, scrutatur, an hanc illamve partem recitaverit, audierit, & proinde hæc illave iterum repetit &c. Item ex mandato Superiorum versatur honeste ac modeste inter homines varij sexus, & tamen timet. Item parce loquitur, comedit, bibit, & tamen anxiatur. Proinde subterfugit studiose omnia consortia, latebras quærit, vix aliquid comedit aut bibit &c. Ne tu talem timoratum sed Scrupulosum censueris. In primo enim casu nullum adest præceptum tam onerosum tam importabile. In alijs nullum subest periculum, scandalum dedecus. Accedit, ad dignoscendam Conscientiam Timoratam à Scrupulosa probatio ex effectu. Nam homines timoratæ Conscientiæ licet quidem studiose cavent offensam Dei, omniaq; ejus pericula & proximas occasiones declinant, hæc tamen eorum cautela & fuga, non anxios reddit in Spiritu, at potius hilares & in conscientia securos, eo quod penes suum ante actiones timorem & sollicitudinem evitant peccata vel defectus. E contra homines conscientiæ Scrupulosæ penes suas nescio quas cautelas, etiamsi bene & rite agant, semper tamen sunt anxij, dubij, mærore prostrati, gaudioq; Spiritus privati.

2do. Juxta Gabrielem Vasquez & alios, variæ sunt Classes Scrupulosorum. Quidam enim sunt Scrupulosi in recognoscendis præteritis peccatis, &

timorati in cavendis futuris, & isti communiter bene finiunt. Quidam vero sunt scrupulosi in re. cognoscendis præteritis, & non timorati sed negligentes in cavendis futuris, & isti videntur æternæ damnationi propinqui ut ait Mich. a S. Catharina Volum. II. num 131. Rursus quidam sunt scrupulosi ex nimium tenera timidaq; complexione, quam causat Melancholici humoris copia, qui tamen libenter agnoscunt se Scrupulosos, amplectuntur consilia, quærunt consortia serenæ ac liberæ mentis hominum, eisq, plerumq; acquiescunt, licet subinde timore suo divexentur. Talium conscientia scrupulosa non adeo est periculosa, quia humilitati est conjuncta. Quidam vero & permulti sunt Scrupulosi qui ex latente in abditis eorum Superbia, ita proprio judicio sunt affixi & mancipati, ut nulli plane velint suam post ponere sententiam, deceptiq; a Patre mendacij suum sentire cuivis præponant, obedientiam, authoritatem, sapientiam alienam flocci pendant, consilia & consortia hominum serenæ mentis declinent, eosq; laxos, dissolutos, temerarios, incautos esse judicent. Vitam communem fastidiant, imperfectam censeant, & sola insolita quædam ijs placeant, v.g jejunia frequentia & alijs rigidiora, vigiliæ productiores, disciplinæ cruentæ, latibula in angulis, vita eremitica, orationes usq; ad defectionem virium, actuositas mentis continua, & similia.

Talium finis [ut deplorandæ experientiæ satis edocent] esse solet, continua inquietudo animi, hypo-

hypochondriaca affectio gestus & mores inconditi, mentis emotio, cessatio à rebus Divinis, gula, ebrietas, & nescitur qualis animæ status. Hujus generis Scrupulosi fere sunt expertes remedij efficacis, magisq; condolere ijs debemus, & Divinam proijs implorare clementiam. quæ opportunam quibusq; novit afferre medicinam.

3tio. Præter has Classes Scrupulosorum, singularem quandam advertunt Magistri Asceseos, cæteris pejorem, & hypocritarum propriam, quam olim in Scribis & Pharisæis Christus damnabat. Matt. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anetum & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam. Hæc oportuit facere & illa non omittere.* Hujus generis scrupulosi sunt accurati, solliciti in rebus parvis quæ parum aut nihil intersunt ad salutem aut perfectionem, ut sunt multæ Exterioritates. In rebus vero magni momenti, à quibus dependet salus & perfectio minimum sunt attenti, quo circa vocantur à Christo: *Duces cæcorum, excolantes culicem & deglutientes camelum.* Porro his Pharisæis hypocritis scrupulosis, plures reperiuntur, similes etiam inter Christianos. 1. Prælati, Judices &c qui sæpe dant veniam corvis, idest magna scelera sic extenuant, quasi nulla forent: e contra innocentes columbas dire vexant, hoc est minima aliorum piacula sic exaggerant, aggravant, puniunt quasi enormissime deliquissent. Vel qui scrupulum sibi movent quod non severius

aliquorum defectus punissent, de sua vero ferocitate, implacabilitate, dominandi libidine, quæ lethalissima sunt, conscientiam non attendunt. 2. Privati: qui scrupulose recitant Officium Divinum, Rosaria, Coronas, jejunia frequentant, certis temporibus à vino abstinent &c. interim absq; omni timore luxuriantur, odia & inimicitias fovent, discordias seminant, proximis detrahunt, graviter alios defraudant, supplantant &c. Hujus modi scrupulositas provenire solet ex irrectitudine cordis, ex amore proprio, ex irrecognitione veræ, solidæq; perfectionis, quæ potissimum consistit in charitate, & operibus ex ea procedentibus, non vero in solis exterioritatibus, cum hæ possint esse communes tam veris Servis Dei quam simulatis.

4to. Magistri Spiritus varia pro diversitate scrupulorum & scrupulosorum præscribunt remedia, omnes cæteroquin in hoc conveniunt, nullum Spirituale amuletum illis profuturum, nisi ante omnia voluntatem judiciumq; proprium agnoscant esse obnubilatum & erroneum, illudq; judicio docti & periti Moderatoris Conscientiæ, Magistri aut Superioris, omnino subijciant, non obstantibus quibuscunq, motibus, & trepidantis suæ rationis argumentis, quæ Sophista infernalis inprimit fortiter scrupulosis. Doctrinæ istius modi rationes sunt convictivæ. 1. Nam quilibet maxime perturbatus, in causa propria solet esse cæcus. Ergo debet alieno judicio acquiescere, & Ducem suum sequi. 2. Quia acquiescere judicio Ducis spiritualis,

est actus

est actus eximius humilitatis internæ, quæ Deum inclinat ad hominem, nam juxta Jacobi 4. *Humilibus dat gratiam*, quæ sola mentem hominis illuminare & voluntatem potest rectificare. 3. Quia juxta 1. Reg. 15. *Nolle acquiescere quasi peccatum ariolandi est*, cui profecto non debetur gratia, lumen, solatium cæleste, at pæna & desolatio. 4. Quia sicut homo æger corpore curari non valet, nisi judicio Medici acquiescat, ejusq; præcepta observet, ita nec æger animo [qualis est omnis Scrupulosus] nisi suum sentire Medico Spirituali subijciat. Confirmantur hæc omnia memorando facto quod refert S. Antoninus p 1. Tit. 3. c. 10. Quidam Ordinis Prædicatorum Frater defunctus, apparuit alteri ejusdem Ordinis Fratri Scrupuloso, à quo de suis scrupulis cum esset interrogatus, id unum responsi dedit: *Consule discretos & acquiesce eis*. Hoc igitur supposito tanquam primo necessario, hæc sunt potissima scrupulosorum remedia, juxta diversitatem tamen eorundem particulariter enumerantur & præscribuntur.

Remedia Scrupulosorum circa peccata & Confessionem eorundem.

1. ABstinere omnino à frequentibus Examinibus & Confessionibus Generalibus, & sufficit ta-

cit talibus semel Generalem Confessionem facere, ut Confessarius intelligat statum sui Pænitentis; nam ut advertit *Ioan. Lanspergius*. Quia eandem repetere aliud non est, quam ultro sibi conduplicare scrupulos, & assidua se inquietudine obnoxium reddere.

2. *Sentire* de Optimo Deo in bonitate sensus, quod non sit tam durus Exactor conscientiæ nostræ, ut velit centies & millies extricari illam & minutatim omnia peccata nostra etiam minima, dubia, incerta, imaginaria discuti ac fateri semper. Ubi enim Deus tantum rigorem nobis præcepit?

3. *Si* quis talium certus est de commissis peccatis mortalibus, quæ etiam homines dissoluti pro mortiferis agnoscunt, ea confiteatur, si fors à præterita confessione commisit, venialia vero potest absq; dispendio *Salutis* omittere, nec eorum discussione mentem fatiget: *Si* vero à mortalibus liber est, ut quid tam stricte memoriam torquet de venialibus, sufficit ut quæ facile menti occurrunt, in confessione aperiat, de cæteris autem in communi doleat ac detestetur ea.

4. Omnino abstinere à lectione illorum *Authorum*, qui scrupulose & nimis subtiliter enucleant peccata defectus, & imperfectiones, quod illi quidem faciunt passim pro Personis perfectis, in spiritu elevatis, specialiter illuminatis, non damnando eas, si quid imperfecti eis contingat, sed confirmando in profectu *Spirituali*, excitando ad majorem puritatem cordis, & amplius meritum coram Deo.

5. Agno-

5. Agnoscere hunc palmarem Scrupulosorum errorem, quod passim dæmon illis ob oculos mentis ponit minima & incerta peccata, eaq; aggravat ac extendit, magna vero & certa occultat, vg. occultam superbiam, pervicacem inobedientiam, aliorum temeraria judicia, affectum avaritiæ, suorum officiorum negligentiam, zeli animarum defectum, quæ tamen experientia teste, familiaria sunt Scrupulosis.

Remedia Scrupulosorum circa cultum Divinum.

Agnoscere quod laus Dei magis pendeat ab affectu laudantis quam à sensu, magis à bona intentione, quam à bona vel exquisita forma laudandi Deum, vg: ab actuositate continua in orando, ab auditione, intellectione omnium verborum, syllabarum, à conduplicatione, multitudine, repetitione precum. Ubi enim Deus vel Ecclesia ad hæc obligat?

2. Placide orare Deum, & alloqui ut Patrem amantissimum, adeoq; abstinere à clamoribus à gesticulationibus, complosionibus, contorsionibus manuum, oculorum, ab excreationibus oris, a gravibus suspirijs, circumrotationibus capitis, & similibus nugis. Dic enim Sodes: An tu hisce formis orando vel alloquendo Regem coleres illum, aut illi placeres? Et deinde, num Christus Dominus cum

talibus nugis oravit Patrem suum? Num Jlle vg. consecrando panem & vinum in ultima cæna vovebat se, contorquebat, verba cum nixu, clamore, proferebat?

3. Curare ut ante orationem colligas animum, & sic collecto ac ad Deum elevato ores, psallas, abstineasq; à varijs & varijs reflexionibus, nam hæ non juvant attentionem sed impediunt: & nunquam plane repetas sive partes, sive totam precationem. Quis enim tibi Sponsor est? qua revelatione cognoscis, primitus te male orasse, & *2do*, aut *3tio* eximie?

4. Cum multi scrupulizent & angantur de ariditate Spiritus in oratione [nempe quod non sentiant dulcedines & blanditias calestes, quod in uberes lacrymas non solvantur, quod non sint certi an eorum oratio placeret Deo, &c.] hujus modi remedia talibus præscribuntur. 1. Credant omnibus SS. Patribus & Jlluminatis Magistris qui uno ore docent: Amorem Dei, veram devotionem, vitæq; perfectionem, non consistere in effusione lacrymarum, non in dulcedine sensibili, non in teneritudine cordis sed potius in affectu ac desiderio colendi Deum, placendi Deo, seu ut docuit S. Teresia. Vitæ. c. 11. in eo, *ut Deo cum justitia, animiq; robore ac humilitate serviamus.* 2. Non virilis animi hoc esse, at fæminei, dulcedines tales appetere, illisq; affici. Et profecto orationis nostræ finis haudquaquam est, ut nos in illa delectemur, sed potius ut delectetur Deus, tanquam Pa-

ter pre-

ter precatione filiorum ; Meritum orationis non consistit in gaudendo & fruendo, sed in operando, patiendo amando, ut Christus dixit. *S. Teressiæ* 4. Suspectissimæ sunt istæ sensibiles dulcedines, & licet à Deo animabus rectis perfectisque nonnunquam communicentur, imperfectis tamen sæpius à dæmone imprimuntur, ut de se aliquid magni opinentur. 5. Cogita, num, tu es deliciolum Dei, ut te demulceat, ut tibi blandiatur, ut te mox ad votum exaudiat? ut suum Placentinum revelet? *S*i vis Deo placere? ora, lauda *Deum*, quia debes, quia Deus est, quia dignus est: cætera in eum proijce: nec te tuaq; quærito, sed Deum, & eris pacatus.

Remedia Scrupulosorum circa cogitationes immundas, blasphemas &c.

1. SCito cogitationes quantumcunq; malas, nihil peccati continere, nisi accedat consensus aut delectatio cum advertentia rationis, quæ utiq; in te non creditur adesse, cum tu potius crucieris hujusmodi cogitationibus, quam delecteris. Neç putes illas esse in cordis tui penetralibus, sed solum excitatas a dæmone in phantasia tua.

2. Ne respondeas talibus cogitationibus, sed eas spernas, ut latratus caninos: nec facias super

eas ullas reflexiones; nam magis illas excitabis quam compesces.

3. Circa blasphemos cogitatus scito, quod minimum sunt periculosæ, Num enim Optimus Deus tamdiu & fortiter credentem in se, amantem se, colentem se permittat, ut in momento velit eum blasphemare, odisse? &c Et num tu jurare possis, quod voluntarie tam nefandis cogitatis consentias? Ergo tum de Deo, tum de te melius sentias, & spernas illa, non respondendo, non disceptando, cum dæmone, horum authore.

4. *Si* vis esse liber à quibusvis malis cogitationibus, otium per omnia cave, sed laboribus, occupationibus honestis te trade, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Non expedit quoq; scrupulosis, tentatis, frequens ac nimia solitudo, sed commoratio, conversatio cum hominibus liberis, serenis, ac honestis: & sane in hoc errant, quod passim latibula quærant.

APPENDIX 2da.

De Indulgentiis

1. INdulgentia juxta sensum Catholicæ Ecclesiæ, est remissio seu deletio pænæ temporalis debitæ pro peccatis, jam remissis mediante Confessione Sacramentali, vel contritione. Hæc vero remissio pænæ seu pænitentiæ fit authoritate, quam Christus Dominus, contulit suæ Ecclesiæ, relinquens ipsi thesaurum infinitorum meritorum suo-

rum,

rum, tum etiam SS. Virginis Matris suæ, & multorum aliorum SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum &c. concessitq; ut Ejus Vicarius in terris, summus Pontifex, per se vel per alios quibus hoc potest committere, communicet & dispenset huncce thesaurum, cum certis conditionibus, exequendis ad effectum lucrandi Indulgentiam, idq, in statu gratiæ, nempe absq, peccato mortali.

2. Per concessionem & lucrationem Indulgentiæ remittuntur à Deo non pecca a ipsa seu culpæ, nam has solus Deus remittit, accedente Confessione Sacramentali hominis, vel contritione intima de illis; at potius remittitur pænitentia seu pæna post remissionem peccati relicta ad satisfactionem Divinæ Justitiæ, quam pænitentiam homo etiam restitutus ad Statum gratiæ debet perferre, sive ex bona sua voluntate assumptam, sive à Deo permissam, sive à Confessarijs impositam, quanquam hi ob varias Personarum circumstantias, discretissimas, passim & justo leviores assignant pænitentias, maximè ob magnum teporem fidei in moderno Christianismo, maluntq, id committere Deo, ut ipse suppleat nostrum defectum, ex abyssis suæ Bonitatis, quæ mittigando severitatem Justitiæ suæ immittit nonnullas tribulationes vel in hoc sæculo, vel reservat ad Purgatorium.

3. Tametsi vero pænitentiæ, jure Ecclesiastico antiquitus constitutæ videntur nobis graviusculæ, nam pro uno peccato mortali assignabatur septem

annorum pænitentia, vi cujus toto illo ſeptennio tenebatur pænitens, qualibet ſeptimana tribus diebus in pane & aqua jejunare; interim Deus [cui ſoli perfecte nota eſt gravitas fæditasq; peccati] ſeveriorem infligit pænam, & noſtra opinione majorem, Nam utiq; pro eſu pomi vetiti in Paradiſo, tot tantasq; miſerias in genus humanum immiſit. David percarus Deo fuit, doluit cordialiter pro peccato quod confeſſus eſt Prophetæ, rigidiſſime pænituit, cæterum Deus totum cum Rege regnum Iſraelis, dira fame, peſte & bello punivit. Id circo idem David popoſcit à Deo Ps. 24. ne illum pro peccatis juventutis & ignorantiæ, item pro ignotis latentibusq; peccatis puniret Ps. 18 probe gnarus quod DEUS & hæc peccata caſtiget acriter, quæ parvi pendimus, vel affectate ignoramus *Matt.* 5 Oraculum Chriſti eſt: *Quicunq; iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicij, qui dixerit fratri ſuo Racha reus erit concilio, & qui dixerit: fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ex quo clare elicitur, peccata etiam in noſtra æſtimatione minora, graviter a Deo puniri, vel pæna æterna ſi de eis ex corde non doluerimus, vel temporaliter ſi de illis ex animo doleamus. Proinde nil mirum eſt ſi primitiva quoq; Eccleſia, tam rigidas peccatis aſſignavit pænitentias, cum tamen hæ frequentiſſime delinquentibus, & nimium delicatis videantur quaſi importabiles, ſupplet earum rigorem per Indulgentias. Ad harum igitur lucrationem deberemus omne ſtudium & diligentiam adhibere, & conditiones requiſitas exequi,

qui, præsertim cum non possumus esse certi, an aliquam Indulgentiam simus consecuti. Et dato quod ita sit, utiq; iterum ac iterum peccantes, novas pœnitentias meremur, quas utiq, convenit rursus evacuare per Indulgentias.

4. Ordinarie *Summus Pontifex* ad lucrandas Indulgentias plenarias in Festis *Sanctorum*, & alias, tres assignat conditiones, nempe Confessionem peccatorum, Communionem *Sacram*, & Orationem pro Exaltatione *S.* R Ecclesiæ, pro concordia Principum, pro extirpatione hæresum.

Quo igitur exactius hæ Conditiones impleantur, porrigitur hic succincta de his doctrina, & in primis.

Doctrina de Confessione Sacramentali

1. ACcessurus ad Confessionem studiose colligito animum tuum, & avelle ab alijs curis, negotijs, occupationibus, cogitationibus vanis, eo fere modo, quo vis mentem liberam habere, dum grave ac serium negotium intendis pertractare cujus tibi multum interest [num enim Confessio non sit grave illud negotium, quod in oculis Dei, Domini, Judicisq, cui vis absolvere? an mediocris importautiæ occupatio, à qua dependet vel *Salus* vel damnatio tua?] *Sic* collecto animo, paulatim revoca in mentem tuas actiones, officia, exercitia, & ex eo.

& ex eorum examine advertes peccata defectusq́; tuos.

2. Singulari attentione lustres & notes in memoria illa peccata ad quæ tum ex innata passione, tum ex consvetudine proniorem te agnoscis, de quibus frequentius te redarguit Conscientia, & inter hæc inprimis adnotes peccata mortalia, si quæ forsan committere soleas.

3. Maximopere convenit examinare conscientiam circa peccata vel defectus contra has virtntes, nempe contra Charitatem proximi, contra obedientiam, paupertatem, castitatem, cum frequentius contra hasce virtutes delinquere, etiam cauto & religioso homini, offerat se occasio.

4. Coordinatis in memoria peccatis, coneris ante Confessionem intimum ac sincerissimum de ijs excitare ac elicere dolorem, quod ut perficias, eleva ferventer mentē tuam ad Deum; considera qnantæ Dignitatis, Sanctitatis, Bonitatis habeas Dominum. Patrem & Deum tuum? In cujus Domini oculis tam audacter, impudenter, deliqueris? in illius nempe cujus infinita Bonitas creavit te ex nihilo, conservat, nutrit, vestit, juvat, in manibus portat, non reijcit ingratum, non damnat tam graviter peccantem. Ex his autem vel similibus considerationibus concitare ad detestationem peccatorum & intimum dolorem, quem sufficit animo concipere, elicere, ac versare, licet verbis non exprimatur externis. Ex hoc dolore fac resolutissimam intentionem, quatenus in documen-

tum amo-

tum amoris erga tam bonum Deum, velis castigare & punire hac Confessione malitias tuas, & confundi pro eis coram homine, quas non erubuisti committere coram Sanctissimo Numine,

5. Immaginare, quasi cum gemente Petro, vel pænitente Magdalena accideres ad pedes JESU & veluti coram eo præsente, sic coram ejus Vicario accusa te de peccatis, humiliter, sincere, distincte integre absq; excusationibus, ambagibus.

6. Post Confessionem renova & exprime dolorem de peccatis, concipe serium ac firmum propositum non peccandi de cætero, libenter ac humiliter suscipe assignatam pænitentiam, & sine mora devotissime illam absolve. Excita in te spem intimam, lætare in animo, gratias age bonitati Divinæ, ad gratiam te recipienti, Sanguini Christi à maculis peccatorum te abluenti.

Doctrina de SS. Communione.

1. NE reputes bonam præparationem ad sumendum in Sacramento Christum consistere in recitatione multarum precationum tantum, quarum pleni sunt libri. Bona quidem & isthæc occupatio est; at ni sit conjuncta cum alijs conditionibus quas nobis insinuant SS. PP. non adeo nos disponet ad dignam Communionem, & ad salutares fructus hujus SS. Sacramenti.

Conditiones igitur hæ sunt.

1. VIva fides de veritate hujus Mysterij.

2. Seria reflexio ac memoria, de Digni-

tate, Bonitate, Amore erga nos hujus Cælestis Hospitis quem suscipere desideras. Proinde Meditatio de *SS. Sacramento* die Communionis studiose instituenda est.

3. Puritas conscientiæ, seu abstractio animi ab omni inordinato affectu.

4. Fervor devotionis seu desiderium ardens suscipiendi hospitem Deum.

5. Rememoratio amarissimæ Passionis Christi.

6. Mæror animi seu intima contritio de peccatis.

7. Desiderium ac propositum fervens instituendi meliorem vitam. Nam *S.* Aug. *Serm. 1. de Temp.* adhortatur: Mutet igitur vitam qui vult suscipere Vitam, si enim non mutaverit vitam, in judicium accipiet vitam, illam scilicet quæ de se dixit: *Ego sum via, veritas & Vita.*

Absoluta vero Communione cum profundissima reverentia & modestia, ne te mox convertas ad libros & precationes vocales, sed collecto spiritu cogita de Hospite quem suscepisti *Divino*, quem in cordis tui sacrario adora, mirare tantam ejus demissionem, gratias refer ejus bonitati, & similibus internis actibus immorare. Tum poteris etiam diutissime alijs precationibus instare. Quod si efficaciter cupias fructus hujus Sacramenti percipere, sollicite cura saltem hac die modeste, honeste, devote conversari, omneq; peccatum cavere: proinde dic sæpius in corde: *Hodie suscepi Deum hospitio: hodie factus sum Conviva Dei! hodie regnat in Corde meo IESUS!*

Doctri-

Doctrina de Oratione tempore Indulgentiæ Ad Intentionem S. Ecclesiæ.

1. HÆc oratio potest esse tum Mentalis, tum Vocalis.

2. Potest absolvi ante vel post Communionem.

3. Absolvenda est ante occasum Solis illius diei pro qua conceditur Indulgentia Plenaria, excepta illa 4. horarum, quæ est lucrabilis etiam nocturnis horis.

4. Formulæ hujusmodi Orationis sunt variæ, inter quas hæc esse potest quæ sequitur.

ORATIO I.

Pro Exaltatione S. Ecclesiæ.

BEnignissime Domine JESU Christe, qui Sanctam Ecclesiam tuam in Sponsam elegisti, eamq; tanto dilexisti amore, quod vitam & Sangvinem tuum pro ea profuderis, rogamus clementiam tuam, ut eandem pacificare, custodire, adunare & regere digneris toto Orbe terrarum. Aspice JESU clementissime, quam pertinaciter ab hostibus suis oppugnetur, Aspice quam violenta rabie portæ inferi adversus eam consurgant. Ne quæso permittas ut adversus eam prævaleant, sed defende & conserva eam in magnitudine brachij

 tui.

tui. Intuere etiam JESU pijssime, quanta negligentia & indecore Divina Officia tua peragantur! quam sacer cultus jaceat! quam exigua Scientia Dei sit in terra! Mitte igitur ferventes & indefessos operarios in messem tuam, qui eam excolant, promoveant: & in horrea tua congregent. Concede etiam universis fidelibus tuis, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ obediant, ejusq; præcepta servent, & in omni bono de die in diem, ad majorem gloriam nominis tui proficiant.

Pater noster. Ave Maria.

ORATIO II.

Pro extirpatione hæresum

PIentissime Domine JESU Christe, verum lumen ad illuminationem gentinm, obsecramus clementiam tuam, ut respicias super interitu tot animarum, quæ fraude serpentis antiqui & deceptione hæreticorum in profundas errorum tenebras inciderunt. O misericordissime JESU, estne possibile, quod miseras illas animas, pretiosissimo Sangvine tuo redemptas, à Satana decipi, ejusq, potestati subdi patiaris! est ne possibile, qnod in dies tot miserandas animas defectu veræ fidei in abyssum inferni detrudi permittas? Recordare ô Christe JESU, quot laboriosa itinera pro salute earum susceperis! quot vulnera & plagas in redemptione earum acceperis! Rogamus igitur per virtutem

tutem amarissimæ Passionis & mortis tuæ, ut execrandas illas hæreses funditus extingvere, atq; indurata hæreticorum corda, ad veram fidem convertere digneris.

Pater noster. Ave Maria.

ORATIO III.

Pro Concordia Principum

DUlcissime JESU, Author & amator unitatis & pacis, rogamus clementiam tuam, ut omnibus Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, ut Ecclesia tua tranquilla semper devotione lætetur. Recordare JESu pie, quam multus sangvis innoxius per continuam bellorum tempestatem effundatur. Aspice quam multi in extremas corporis & animi angustias dejciantur. Ah JESU amantissime, qui pacem semper amasti, eamq; toties discipulis apprecatus es, rogamus per ineffabilem cordis tui amorem, ut Reges & Principes Christianos pacificare & arctissimo concordiæ vinculo colligare digneris, ut plebs tua in quiete & pace gubernari, inque tuo servitio confortari & conservari mereatur. Quod nobis præstare digneris per infinitam misericordiam & bonitatem tuam. Amen.

Pater noster Ave Maria. Credo.

Ad hanc intentionem utiliter etiam possunt dici Litaniæ OO. *SS.* cum adjunctis precibus, vel Pars Rosarij B. V. M.

INDUL-

INDULGENTIÆ PLENARIÆ

Concessæ perpetuis temporibus in Ecclesiis Ordinis Minorum. S. P. Francisci.

1. IN Festo SS. Nominis JESU D. 14 *Ianuar.*
2. In Festo SS. Berardi, Petri &c. Protomartyrum Ordinis nostri *D. 16. Ianuar.*
3. In Festo B Ludovicæ Albertoniæ Viduæ 3. Ord. *D. 31. Ianuar.*
4. In Festo BB. Petri Baptistæ &c. Martyrum Japonensium *D. 5. Februar.*
5. In Festo S. Margaritæ de Cortona *23. Febru.*
6. In Festo S. Catharinæ Bonon; Virg *D. 9. Mart*
7. In Festo S. Raphaelis Archang. *D. 16. April.*
8. In Festo S. Paschalis Baylon *D. 17. Maij.*
9. In Festo S. Petri Regalati *D. 13. Maij.*
10. In Festo S. Bernardini Senen. *D. 20. Maij*
11. In Festo S. Antonij Padvani *D. 13. Iunij.*
12. In Festo B. Michaelinæ Vid: *D. 19. Iunij.*
13. In Festo BB. Nicolai & Soc. MM. Gorcom. *D. 9 Iulij.*
14. In Festo S. Bonaventuræ Cardinalis & Ecclesiæ Doct. *D 14. Iulij.*
15. In Festo S. Francisci Solani *D. 24. Iulij.*
16. In Festo S. Claræ Virg: *D. 12. Augusti.*
17. In Festo S. Ludovici Episc. *D. 19. Aug.*
18. In Festo S. Rosæ Viterbien. *D. 4. 7bris.*
19. In Festo Stigmatum S. P. N. Francisci *D. 17. 7bris.*

20. In

20. In Solemnitate ejusdem S. P. Francisci D. 4. 8bris.
21. In Festo S. Petri de Alcant. D. 19. 8bris.
22. In Festo S. Joan. Capistrani D. 23. 8bris.
23. In Festo S. Didaci Conf D. 12. 9bris
24. In Festo OO. SS. Ord. nostri D. 21. 9bris.
25. In Festo S. Jacobi de Marchia D. 28. 9bris.
26. In Festo Immac: Concep. B. V. M. Principalissimæ sub hoc Titulo Ord: nostri Patronæ.
27. In Die Portiunculæ seu B. V. M. Angelorum *Die 2. Aug.* Quæ Indulgentia singulare hoc Privilegium habet.
1. Quod Originem suam habet ab ipso Christo.
2. Quod possit applicari animabus defunctorum.
3. Quod præmissa una Confessione & Communione possit non semel obtineri, sed toties quoties aliquis oraverit ad Intentionem S. Ecclesiæ ut sup. inquacunq; nostri Ord. Ecclesia, computando diem 2dam Aug: a primis Vesperis Festi usq; ad occasum solis diei secundæ, & sic potest pluribus animabus defunctorum prodesse: ut declaravit S. Congr. in una Labacensi. A. D. 17. Julij.

Præter specificatas Indulgentias Plenarias Locales pro omnibus fidelibus, plurimæ aliæ sunt concessæ pro nostri Ordinis Religiosis quas lucrari quotidie possunt, ut.

1mo. Indulgentia Plenaria Stationis SS. Sacramenti, recitantibus coram eo. Quinq, Pater & Ave, ac Sextum pro Summo Pontifice, concessa a Leone X. Papa, & confirmata ab Innoc. XI. An. D. 1684.

2do.

2do. Indulgentia Plenaria recitantibus Coronam 7. Decadum B. V. M. concessa a Paulo V. Papa.

3tio. Indulgentiæ Stationum Urbis quas possunt lucrari omnes Religiosi singulis diebus ut præscribuntur in missali Romano.

4to. Indulgentiæ Stationum Viæ Crucis Christi, quæ sunt copiosissimæ & pene innumeræ; omni die lucrabiles, quarum nonnullæ sunt plenariæ.

DISPOSITIO Ad MISSAM, *& Communionem Ex V. Patre Drużbiccio.*

1. O Sanctissima TRINITAS DEUS meus ego quantum ex gratia tua possum, volo & conor me disponere tam sequentibus, quam totius vitæ meæ actionibus & passionibus ad Sanctissimum Filij tui Sacrificium offerendum, Sacramentumque sumendum quam dignissime. tamen diffido prorsus omni meæ dispositioni, & a te solo disponi, meæque dispositioni benedici peto, desidero, & spero, non propter bonum meum, sed pure propter Dignitatem, Voluntatem, & Voluptatem tuam majorem ac majorem. Tu ergo dispone me, propter Te, digne Te, ad hoc, & ad omne Sacrificium Sacramentumq; tam mea quam tua dispositione, sicut potes, scis, & vis, ego tamen volo, cupio, & propono tuum ô DEUS explere gustum, hoc præsenti Sacrificio, tam ex

opere

opere operato, quam ex opere operantis, tam in Persona Christi, quam in mea persona propter Te, ideo toto meo conatu, desiderio, fervore, volo evincere omnem præteritam devotionem meam & alienam, totoq; omnium Electorum, & Sanctissimæ V. Matris ac tuo JESU mi Theandrico fervore inardesco, tam ad hoc quam ad omne Sacrum ejusq; fructus obtinendos, augendosq, propter Te.

2. O Domine DEUS meus Unus in Sanctissima TRINITATE Pater Fili & Spiritus Sancte, coram tua Divina Majestate, doleo pro peccatis meis omnibus & singulis; & doleo quia tu vis, & dignus es ut doleam, & quia displicent, repugnantq; Bonitati tuæ, quam amare super omnia, æstimareq; debui, & nunc æstimo, æstimareq; semper deinceps volo sicut etiam volo, pro ijsdem peccatis meis satisfacere juxta mentem & gratiam tuam, ab illisq, semper diligenter cavere, quem contritionis atq; amoris tui actum offero Majestati tuæ ad beneplacitum tum. ad fructum animæ meæ, ad disponendum me digne immolando Sacrificio, & sumendo SACRAMENTO tuo Sanctissimo ad quod accedere propono.

3. Domine DEUS volo & statuo tibi offerre omnia Sacrificia. quæ vis & scis a me tibi efferenda, & quantum est ex me, etiam ab alijs tibi unquam oblata & offerenda, præcipue istud hodiernum Sacrificium tibi offerre intendo, omni ea ratione, modo, gradu, intellectione, replicatione, sublimitate, intensione, extensione, excellentia,

motivo, puritate, ac dispositione, qua tu scis, vis, das, juxta gustum voluntatis tuæ posse tibi offerri & applicari. Offero tibi Domine DEUS tam hoc, quam omne aliud Sanctissimum Sacrificium, quod tibi rite offertur & offeretur unquam a me vel ab alijs, ad omnimodam laudem tuam, ad gloriam Christi, & ad memoriam Passionis & mortis ejus, ad cultum & invocationem Sanctissimæ Virginis MARIÆ, & Sancti JOSEPHI Sponsi ejus, & Sanctorum Patronorum meorum, ac illorum qui gratia devotionis & reveventiæ ad Sanctissimum Sacrificium Sacramentumq; excelluerunt. & omnium Sanctorum Ad auxilium Ecclesiæ tuæ, ad ejus defensionem, instructionem & profectum, ad multiplicationem & augmentum in ea bonorum ac justorum, ad aversionem calamitatum publicarum diminutionemq; peccatorum & peccantium, ad sublevationem necessitatum nostrarum spiritualium & corporalium, omnibus in genere & in specie benedic Domine juxta cujusq, indulgentiam.

4. Memento Clementissime DEUS fidelium vivorum & mortuorum præsertim eorum pro quibus orare soleo, debeo, intendo, qui pro me orant, quibus specialiter obligatus sum, Ut sunt Amici, Benefactores mei omnes privati & communes, & illis qui mihi sunt infensi, inimici, adversarij. & quos ego læsi vel injuriavi, & pro quibus tu a me orari vis, omnibus his valorem Sacrificij hujus dispensa juxta gustum voluntatis tuæ, ac debitum Voluntatis meæ, Da Domine DEUS Sanctificatio-

nem

nem Nominis tui, *Sanctorum* laudem, Ecclesiæ vivorum exaltationem, per omnes gradus & statūs gratiam & auxilium, animabus purgatorij solatium & refrigerium, & mihi omne cujus capax sum [sine aliorum damno] meritum gratiæ actualis efficacis & congruæ, ac in *Sanctitate* profectum & finalem perseverantiam juxta proportionem operis operati, & operis operantis, & juxta impetratoriæ ac satisfactoriæ efficacitatis latitudinem, secundum magnam misericordiam tuam.

5. Hoc fine advoco DEUS meus tuam Unitatem in *Substantia*. & Trinitatem in Personis, advoco tuam dignitatem omnipotentiam. *Sapientiam*, Bonitatem, justitiam, charitatem providentiam voluntatem ac omnitudinem tuam, advoco JESUM Christum tuum & *Sanctissimæ* Virginis Filium, cum omnibus ejus *Substantijs* gratijs, meritis donis, passionibus, Virtutibus, prærogativis & Persona, in specie vero advoco illum ut est *Sacrificium* nostrum pronobis in honorem tuum Domine DEUS noster, & quatenus est *Sacerdos* Altare, & Hostia vera, te digna. Advoco Beatissimam Virginem MARIAM. Omnium *Sanctorum* Reginam cum tota prærogativarum ejus mensura quam apud te habet. Advoco Angelos & *Sanctos* omnes, eorumq; gratias, merita, virtutes & glorias ac intercessiones apud te. Advoco *Sanctos* *Sacrificio* Sanctissimo specialius ac insignius devotos Advoco *Sanctos* omnes hujus loci & templi quacunq; ratione Patronos, omnes *Sanctos* quos Ecclesia

in Sacrificio Missæ ordinarie ac nominatim invocat. Advoco Sanctos omnes die hodierna in Martyrologio relatos, & quos Ecclesia hodie recolit. Advoco Sanctos quorum Reliquiæ sunt in Altari & apud me. Advoco Sanctos meos Patronos electos vel quavis ratione mihi congruos ex speciali devotione mea erga illos, illorumq; affectione erga me, precipue istos NN. hos omnes & alios, quos tuo divino beneplacito mihi auxiliares esse placet, invito & invoco tota devotione mentis, tota prostratione cordis, tota fidei, spei, & amoris latitudine, ad gustum tuæ Voluntatis ad solam tuam gloriam, ad solam tuæ dignitatis exaltationem & Sanctificationem Hoc volo spero & rogo, ut sic disponar dignissime ad sacrificandum & consecrandum, ac sumendum Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi in hac efficacia proportione, intensione, extensione, in eo gradu, sicut tu DEUS scis, vis, & dignus es.

Post Missam vel post Communionem.

DUlcissime Hospes animæ meæ Domine JESU Christe, pro eo affectu & charitate, qua hoc Sacrificium & SACRAMENTUM instituisti, & me ad illud peragendum sumendumq; admisisti, immensas gratias tibi ago, & deprecor, quod non cum debita præparatione, puritate, humilitate, devotione ac amore, ad tantum Mysterium accesserim: omnem porro defectum in ejus oblatione ac sumptione commissum dele ac remitte

supplen-

supplendo hos defectus commissionis, actibus tuæ profundissimæ reverentiæ, ac intensissimæ charitatis, quos tu ipse circa hoc Mysterium exercuisti & quos unquam ex dono tuo servi tui omnes huic misterio addictissimi exercuerunt, exercent, exercebuntq; ad finem sæculi, hos omnes ego jam nunc in sua latitudine, & omni circumstantia tibi placita, tuis Theandricis actibus unitos offero toto me, per Te, *S*anctissimæ TRINITATI, in suplementum omnium quæ mihi defuerunt, simul peto removeri a me omnia impedimenta fructuum & gratiarum sacrificij *S*acramentiq; Introtrahe mi JESU totam hanc meam hujus *S*acrificij actionem in cor tuum amabile, illamque meritis tuis dignificatam offer in gratiarum actionem satisfactionem, & impetrationem aliosq, fines tibi placitos præcipue ad gustum Patri æterno, tibi & *S*piritui *S*ancto, & ad incrementum specialis gloriæ *S*anctissimæ V. Matris tuæ, ac Beatissimi JOSEPHI Nutrij tui, & omnium *S*anctorum Patronorum hujus Misterij regnantium in Cælo, augmentum vero in terris adhuc degentium. Uni me tecum JESU mi, amore indissolubili, Transforma me totum in Te. Accende me dulcis JESU, Charitate tuâ *S*eraphica, peto id per Cor & Animam meam Dilectricis Tuæ *S*anctissimæ Virginis Matris tuæ MARIÆ quæ te incarnatum prima & principaliter & maxime dilexit, & in Sacramento dignissime amavit, honoravit, & suscepit, peto id per te ipsum, & intercessionem Omnium *S*anctorum tuorum. Dulcissime JESU Te

in me realiter concomitante Sanctissima TRINITATE, præsentem credo, amo, æstimo, adoro, & veneror toto me, tota anima, totis Viribus internis & externis, toto corde, tota memoria, toto intellectu tota Voluntate, industria ingenio, capacitate mea. Credo, amo, adoro, Te mi JESU cum Sanctissima Trinitate in me realiter præsentem toto Universo, & omnibus atomis universalizatis. Amo, æstimo, & adoro Te toto Cælo, igne, aëre, aqua, terra, & omnibus quæ in his continentur. Amo, æstimo, adoro Te, tota Sanctissima Virgine Maria Matre tua, totaq; curia cælesti, Sanctis Angelis, Archangelis, Virtutibus, Potestatibus, Dominationibus, Thronis, Cherubininis, Seraphinis, Apostolis, Patriarchis, Prophetis, Martyribus, Doctoribus, Confessoribus, Virginibus, Viduis, omnibusque Sanctis, tota æternitate: Humilio me JESU mi coram Te, & coram Sanctissima Trinitate in me præsente toto me, usq; ad inferos, infra bruta, & infra nihili centrum. Benedico Te JESU mi cum Sanctissima Trinitate in me præsentem laudibus & benedictionibus omnium Sanctorum, Virginis Mariæ, tuæ pretiosissimæ Humanitatis ac Divinitatis, & Dignissimæ Trinitatis. Tibi mi JESU omnes actiones & passiones totius Vitæ & Substantiæ meæ, ac omnium creaturarum Unitas toti Vitæ Tuæ, in realem, verbalem, cordialem, præteritam, præsentem, futuram, incessabilem: omnimodam, possibilem, infinitam gratiarum actionem, laudem, amorem, adorationem, exaltationem, tibi offero, dono,

trado.

trado. Mi JESU Confiteor & commendo tibi, omnes meas necessitates naturales & spirituales, præsentes & futuras, præcipue extremam in morte mea, item commendo tibi necessitates totius Ecclesiæ, Regni hujus, Religionis nostræ, Superiorum, Personarum, locorum, laborum, officiorum, tribulationum, tentationum, & quas tu optime nosti, item cognatorum & amicorum privatorum & communium, Benefactorum omnium privatorum & communium, omnium quos læsi & injuriavi aliquando, & qui me læserunt aliquo modo, Omnium in agone mortis existentium, omnium Animarum in Purgatorio, item Omnium Vivorum & mortuorum quos Tu JESU mi, scis, potes, & velis adjuvare. Deprecor te Dulcissime JESU, quod negligenter & frigide Te tractaverim, & per tuam ineffabilem pietatem, supple meos defectus, sicut scis & potes ad majorem tuum gustum & honorem, Amen.

MANUS RELIGIOSA

SEU MANUALE RELIGIOSORUM

Quod S. Bonaventura ex Sacra Scriptura collegit, ac Novis Religiosis proposuit observandum.

SIcut Scientiæ ac doctrinæ complures quo facilius inducantur, habent suas Isagogas velut prima rudimenta quæ suis candidatis ad altiora viam monstrant. ita noster Ordo Seraphicus quinq; periodos, ceu quædam elementa Suis Novitijs ab initio tradit: quæ dum ipsi mente quasi manu tenuerint, paratiores fient ad sublimiora pietatis & virtutum studia capessenda.

Digitus I. Ad quid venisti?
Non velle meum facere.
Sed passiones vincere.
Sanctamq; Crucem tollere.
Et in dies proficere.
II Quid ad te?
Defectus vides? quid ad te?
Qui stas, cura non cadere
Attende tibi nosce te
Mitemq; JESUM sequere.
III. Est mea culpa,
Si cupis esse amabilis?
Fatere culpam jugiter.
Peccator es, Humiliter,
IV. Dic, servus sum inutilis.
Omne quodcunq; facitis,
Fideliter ex animo,
Hominibus & Domino:
Non servientes Oculis.
V. Deo gratias.
In omni quod obvenerit,
Laudato semper Dominum,
Bonum malumve fuerit:
Hunc solum specta terminum.

1. Monet ut meminerimus illius diei in qua egressi sumus de Ægypto, & alacriter ad terram promissam euntes, de transitu non faciamus reditum, Sed affectibus quasi Regibus Chananæorum superatis,

peratis, in Virtutibus proficiamus, quod Religiosorum omnium vocatio exigit.

2. Insinuat nobis ut si quid humani in Fratrum grege contingat non moveamur. Nam in quemcunq; angulum se quis abdiderit in hoc mundo, inveniet homines cum varijs defectibus Duo igitur nobis sunt observanda Prius nos ipsos ut penitius inspiciamus, alterum, ut Christum pietatis ducem aspiciamus quem secure imitari possimus.

3. Præparat nos ad humilitatem omnium virtutum Matrem. Quoties in multis deficimus omnes; sæpissime cadimus, & tam inopes virtutum sumus, ut sufficientes non simus boni aliquid cogitare à nobis quasi ex nobis. Atq; etiam bona si quæ videmur operari, ut plurimum coram DEO bona non sunt. Quod cum studiose consideremus, non facile extollemur, indignitatem propriam agnoscentes.

4. Reddit nos DEO & hominibus longe gratissimos, quando id quod præcipitur faciendum non tergiversando vel dissimulando lubenti animo facimus, cogitantes oculum Divinæ Majestatis nunquam dormitare, sed intueri omnia, in cujus gloriam universa agenda docente Apostolo didicimus.

5. Deducit ad omnium actionum metam DEUM, in quo tranquille quiescimus. ab eo ducimus Originem, ad eum properamus omnes. Etenim ipse est Alpha & Omega principium & finis, ad quem in omnibus velut unicum scopum collimare debemus. Faxit Dominus JESUS ut hunc ipsum attingamus

& æterna præmia consequamur, Amen.

S. Bonaventuræ Oratio quotidiana.

O Domine JESU Christe, cor meum tuis Vulneribus saucia, & tuo *Sangvine* inebria mentem meam, ut quocunq; me vertam, Te semper videam Crucifixum; & quidquid aspexero, tuo Sangvine mihi appareat rubricatum. Ut sic totus tendens in te, nihil inveniam & amem præter te, nil valeam intueri, nisi te Vulneratum, hæc sit mihi consolatio tecum pati & mori, hæc sit mihi afflictio extra te in aliquo delectari, non quiescat cor meum Bone JESU, nisi in Vulneribus tuis, hic suum terminet appetitum, donec amore tui finiat vitam suam. Ducissime JESU, da mihi gratiam digne serviendi *Sanctissimæ* Virgini MARIÆ Matri tuæ Amen.

Ejusdem S. Bonaventuræ
Salutatio Vulnerum Christi.

AVe Vulnus lævæ plantæ, Qua virtutum crescunt plantæ.
Nos ab hoste supplantante, Tu defende post & ante
Pater & Ave Maria &c.
Ave Vulnus dextri pedis, Pedem mentis pie lædis
Dum ad eam sæpe redis, Esto nobis spes mercedis.
Pater & Ave Maria.

Ave Manus Christi læva, sic confixa manu sæva,
Nos ab omni malo leva, Quod causavit Mater Eva
Pater & Ave Maria &c.

Ave Manus dextra Christi, Perforata plaga tristi,
Nos ad dextram jube sisti, Quos per Crucem redemisti.
Pater & Ave Maria &c.

Ave Latus perforatum, Unde fluxit flumen gratum.
Præbe nobis conducatum, Ad æternæ Vitæ statum
Pater & Ave Maria &c.

℣. Vulneratus est propter iniquitates nostras.
℟. Attritus est propter scelera nostra.

DOmine JESU Christe, qui pro salute humani generis quinq; Vulnera in Cruce pati voluisti, tribue quæsumus, ut ob reverentiam tuorum Vulnerum absolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præsentem Vitam bono fine terminare in ferventi amore tui, ut sic tuam svavissimam Visionem assequar, Intercedente Beatissima V. Maria Matre tua cum omnibus Sanctis, Amen.

Errata ſic corrige.

Fol. 3. verſu 21. poſt Ly humana, *adde* ſicuti ſunt in Christo duæ naturæ, Divina & humana.
Fol. 66, v. 1. exivere *Lege* excivere. Item v. 23 ſupra *Lege* contra.
Fol. 13. v. 24. ipſos *Lege* impios.
Fol. 208. v. 3. Num forte *adde* ſecus?
Fol. 216. v. ult. gratiæ *Lege* gratiam.
Fol. 231. v. 16. animo *Lege* omnino
Fol. 261. v. 8. *Dies* VI. *Lege* VIII.
Fol. 268. v. 11. honorificata *Lege* honorifica.
Fol. 270 v. 23. quorum *adde* tot.
Fol. 278. v. 23. virtutis. *adde* ut quædam ſit in viriditate herbæ, *dele* eſt.
Fol. 282. v, 12. per quam *adde* certa.
Fol. 292. v. 6. Aras *Lege* avras.
Fol. 294. v. 23. *Sanctitati* *Lege* *Sanitati.*
Fol. 311. v. 23. inviolo *Lege* invido.
Fol. 315. v. 7. *DEHM* *Lege* DEUM &c.
Fol. 322. v. 21. Civitatem *Lege* Civilitatem.
Fol. 323. v. ult. ſim *Lege* ſimus.
Fol. 339. v. 13. quæ *adde* eſt.
Fol. 342. v. 25. flat. *Lege* dat.
Fol. 343. v. 13. ridearur *Lege* videatur.
Fol. 375. v. 2. vovebat *Lege* volvebat.
Fol. 394. v. 19. Nutrij *Lege* Nutritij.

Minora menda prudens ac benevolus Lector ex connexione verborum aut alias cognoſcet & ignoſcet.

✠(*)(✠)(*)✠

ELENCHUS
Materiarum.
Quæ in hoc Opusculo continentur.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

Medi-



